

1996-03-25- SS Ioannes Paulus II - Adhortatio 'Vita Consecrata'

**IOANNIS PAULI PP. II
SUMMI PONTIFICIS
ADHORTATIO APOSTOLICA POSTSYNODALIS
« VITA CONSECRATA »
EPISCOPIS ET CLERO,
ORDINIBUS CONGREGATIONIBUSQUE RELIGIOSIS,
SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, INSTITUTIS SAECULARIBUS
ET CUNCTIS FIDELIBUS
DE VITA CONSECRATA
EIVSQUE MISSIONE IN ECCLESIA AC MUNDO**

1. Vita Consecrata, quae suas radices in Christi Domini exemplis doctrinisque habet, Dei Patris donum est Ecclesiae ipsius per Spiritum concessum. Evangelicorum enim consiliorum professione *notes Iesu propriae* - virginis pauperis oboedientis - singularem constantemque *suam obtinent « visibilem formam » in mundo* simulque fidelium mens ad illud regni Dei mysterium dirigitur quod in historia iam operatur, sed suam in caelis adhuc exspectat consummationem.

Progredientibus quidem saeculis nec viri defuerunt nec feminae qui, Patris vocationi parentes nec non Spiritus instigationi, hanc peculiarem delegerunt sequelam Christi ut se Ei devoverent « indiviso » corde.(1) Omnia et illi dereliquerunt, haud secus atque Apostoli, ut cum Christo manerent seseque Dei et fratrum famulatui sicut ille traderent. Hoc profecto modo aliquid contulerunt sane ad Ecclesiae mysterium munusque demonstrandum, multiplicibus vitae spiritualis apostolicaeque gratiis quas Sanctus Spiritus its largiebatur, quam ob rem adiuverunt quoque ut hominum societas renovaretur.

DE CONSECRATA VITA GRATIAE AGUNTUR

2. Tanti quidem in Ecclesia ponderis sunt consecratae vitae partes, ut Synodum convocari censuerimus, ad eius significationem expectationesque perscrutandas adventante iam novo millennio. In ipso synodali congressu voluimus ut iuxta Patres pariter praesentes adessent etiam complures consecrati viri ac mulieres consecratae, ne communibus deliberationibus eorum deficerent propriae partes.

Omnes nobis conscius sumus divitiarum quas vitae consecratae donum ecclesiali adfert communitati ex ipsa suorum donorum institutionumque varietate. *Gratias Deo simul referimus* pro ordinibus religiosisque Institutis contemplationi aut apostolatus operibus destinatis, pro vitae apostolicae Societatibus, pro saecularibus Institutis, pro ceteris consecratorum coetibus nec non iis universis qui, in pectoris sui penetralibus, peculiari consecratione Deo se dicant.

Intra Synodum ipsam veluti manu tacta est vitae consecratae universalis disseminatio, quae adest in cuiusvis terrarum partis Ecclesiis. Progressionem evangelizationis illa incitat ac comitatur variis in orbis regionibus, ubi non tantum grato animo recipiuntur Instituta a nationibus alienis ingredientia, sed etiam nova instituuntur, permagna cum formarum atque expressionum diversitate.

Ita nempe, si quibusdam in orbis provinciis consecratae vitae Instituta difficiliora transire tempora videntur, aliis tamen locis mirabili quodam vigore efflorescunt, demonstrantes totius sui donationis Deo factae in Christo culturae et cuiusque populi historiae minime repugnare. Neque illa intra Ecclesiam dumtaxat catholicam floret; enimvero vicens ipsa maxime reperitur in Ecclesiarum Orthodoxarum monasticis Institutis tamquam necessaria earum figurae species, atque oriri incipit vel iterum apparere in Ecclesiis et communitatibus ecclesialibus ex Reformatione ortis veluti documentum communis gratiae Christi discipulorum. Hac e rerum comprobatione impulsio proficiscitur ad oecumenismum, quae cupiditatem plenioris usque inter christianos communionis nutrit, « ut mundus credat ».(2)

CONCESSUM ECCLESIAE DONUM CONSECRATA VITA

3. Universalis vitae consecratae praesentia atque evangelica eius testificationis proprietas palam testantur - si quidem necesse sit - illam *haud esse rem solitariam ac seclusam* verum universam afficere Ecclesiam. Synode episcopi hoc crebrius confirmaverunt: « *De re nostra agitur* ».(3) *Revera in sinu Ecclesiae ipsius consecrata sese collocat vita* uti decretoria pars pro eius munere, quandoquidem « significat intimam vocationis christianae naturam »(4) nec non totius Ecclesiae-Sponsae intentionem ad coniunctionem unico cum Sponso.(5) Non semel in Synodo adfirmatum est vitam consecratam non modo praeteritis temporibus partes adiuvandi et sustinendi Ecclesiam explevisse, sed necessarium atque magni pretii donum esse quoque praesenti et futuro populi Dei tempore, cum intimo modo ad eius pertineat vitam eiusque sanctimoniam atque operam.(6)

Minime debent hodiernae difficultates, quas certis in orbis regionibus nonnulla experiuntur Instituta, adducere nos ut in incerto habeamus evangelicorum consiliorum professionem esse *integrantem Ecclesiae vitae partem*, cui vehementem addat impetum ad maiorem usque evangelicam congruentiam.(7) In ipsa historia accidere poterunt variae eius formae diversae, verumtamen non afficitur electionis substantia quae radicali sui ipsius dono declaratur pro Iesu Domini amore, atque, in Eo, pro unoquoque familiae humanae membro. *Huic certitudini*, qua

innumerabiles per saecula homines sunt incitati, *etiam nunc confidere perget Christianus populus*, cum se deducere posse noverit, ex horum hominum magnanimorum partibus, validissimum adiuventum suo ad patriam caelestem in itinere.

SYNODI PERCIPIUNTUR FRUCTUS

4. Obsequentes voluntati significatae a Coetu Generali Ordinario Synodi Episcoporum congregatae ut argumentum ponderaret « De vita consecrata deque eius munere in Ecclesia et in mundo », hac Adhortatione Apostolica exponere in animo habemus curriculi synodalis(8) fructus atque omnibus fidelibus - episcopis et presbyteris, diaconis, personis consecratis et laicis - iisque quotquot audire voluerint ea mirabilia quae consecratam per vitam hodie quoque patrare vult Dominus.

Perficit haec Synodus, quae priores sequitur Synodos laicis ac presbyteris dedicatas, tractationem illarum proprietatum quae varios signant vitae status quos suae Ecclesiae Dominus Iesus concedere voluit. Si enim a Concilio Vaticano II elata est ecclesialis communionis magna veritas, in qua omnia dona coniunguntur ad Christi corpus exstruendum Ecclesiaeque munus in mundo explendum, superioribus hisce annis necesse esse perceperunt melius *definiatur qualitas variorum vitae statuum*, eorum vocatio eorumque peculiaris in Ecclesia perfunctio.

Etenim in Ecclesia communio non est aequalitas, sed Spiritus donatio quae etiam per gratiarum vitaeque statuum varietatem transit. Eo erunt hi status Ecclesiae eiusque operi utiliores, quo magis eorum observabitur proprietates. Omne namque Spiritus donum idcirco conceditur ut pro Domino(9) in ipso fraternitatis operisque augmento adferat fructus.

SPIRITUS ACTUOSITAS VARIIS IN CONSECRATAE VITAE FORMIS

5. Equis non grato erga Spiritum animo *de formarum consecratae vitae historicarum abundantia recordatur*, quas Ipsemet excitavit quaeque adhuc in ecclesiali adsunt structura? Arboris instar praebentur multipliciter ramificatae,(10) quae in Evangelium radices agit copiosumque gignit Ecclesiae omni aetate proventum. Quam mirae divitiae! Exeunte Synodo Ipsi necesse censuimus extollere hoc constans in Ecclesiae historia elementum: fundatorum ac conditricum multitudinem, sanctorum sanctarumque qui ex radicali Evangelii condicione Christum delegerunt atque in fraterno ministerio praesertim pro pauperibus et derelictis.(11) Hoc omnino in ministerio insigniter elucet quomodo ostendat consecrata vita *indolem unicam mandati amoris*, in coniunctione insolubili amoris tum Dei tum proximi.

Perpetuam hanc Spiritus Sancti operam memoravit Synodus, qui saeculorum decursu thesaurus depromit ipsius observationis consiliorum evangelicorum per multiplices gratias, qua etiam via perpetuo in Ecclesia et orbe terrarum in tempore et spatio praesens reddit Christi mysterium.

MONASTICA VITA IN ORIENTE ET OCCIDENTE

6. Catholicarum orientalium Ecclesiarum Patres synodales nec non legati aliarum Ecclesiarum Orientis in lumine collocaverunt *evangelica bona monasticae vitae*,(12) quae iam primis christianisme initiis apparuit et etiamnum in earum finibus praesertim apud Ecclesias orthodoxas floret.

A primis iam Ecclesiae saeculis viri mulieresque non defuerunt qui vocatos se cognoverunt ut Verbi incarnati imitarentur servi condicionem quique in eius se dederunt sequelam in monastica professione amplectentes peculiari praecipuaque ratione postulata quae proficiscebantur ex baptismale mysterii paschalis mortis eius ac resurrectionis participatione. Hac ratione se crucis gestatores praestantes (*staurophóroi*), operam dederunt ut Spiritus evaderent gestatores (*pneumatophóroi*), viri ac mulieres verissimo modo spirituales, qui arcanis viis historiam locupletare per laudem et perpetuam intercessionem per ascetica monita et caritatis opera valerent.

Eo quidem consilio ut orbem ac vitam transfigeret in ipsa exspectatione sempiternae visionis Dei vultus, orientalis monachismus praecipuam partem tribuit conversioni, sui ipsius abnegationi cordisque compunctioni, hesychiae, seu pacis interioris conquisitioni precationique perpetuae, ieiunio vigiliisque, pugnae spiritali et silentio, paschali laetitiae ob praesentiam Domini et exspectationem novissimi eius adventus, sui rerumque suarum donationi peractae in sancta coenobii communionem vel in eremitica solitudine.(13)

Occidentalis quoque orbis monasticam exercuit vitam primis inde ab Ecclesiae saeculis eiusque magnam agnovit formarum varietatem tum in condicione coenobitica tum in eremitica. Ut nunc res se habent, aspirante praesertim sancto Benedicto, occidentalis monachismus hereditatem consecutus est tot virorum ac mulierum qui, vita secundum saeculi mentem deserta, Deum conquisiverunt eique se ipsi devoverunt « nihil praeponentes Christi amori ».(14) Etiam huius temporis monachi *congruenter interiorem vitam componere et opus* student intra evangelicum ipsum officium conversionis morum, oboedientiae et stabilitatis, atque intra assiduam intentionem in Verbi meditationem (*lectionem divinam*), liturgiae celebrationem ac precationem. Fuerunt antehac etiamque nunc exstant monasteria in media Ecclesia et in mundi regione eloquens quoddam communionis signum, accepta commoratio eorum qui Deum et spiritus veritates quaerunt, fidei scholae veraeque officinae studii, dialogi et cultus humani ad vitae ecclesialis aedificationem ipsiusque terrestri civitatis, donec caelestis illucescat.

VIRGINUM ORDO, EREMITAE, VIDUAE

7. Vera est laetandi beneque sperandi causa quod iterum hodie efflorescere videtur *antiquus virginum Ordo* quem christianae communitates exinde a temporibus apostolicis testificantur.(15) Ab Episcopo dioecesis consecratae, hae virgines peculiare cum Ecclesia vinculum suscipiunt cuius ministerio se dicant, quamquam in

mundo remanent. Solae aut consociatae, *singularem praebent eschatologicam Sponsae caelestis imaginem vitaeque venturae*, cum denique amorem plenissime erga Christum sponsum vivet Ecclesia.

Eremitae *mares ac feminae*, ad antiquos pertinentes Ordines vel ad nova Instituta, aut etiam directe ab Episcopo pendent, per interiori atque exteriori a mundo segregationem temporalem testantur huius aevi naturam, per ieiunium ac paenitentiam profitentur non solo pane vivere hominem sed Dei Verbo.(16) Talis « in deserto » vita est etiam invitatio similibus ipsique ecclesiali communitati facta *ne umquam suprema vocatio de conspectu amittatur*, quae est ut semper cum Domino commoremur.

Novam recentioribus temporibus consuetudinem accepit etiam consecratio *viduarum*,(17) tractata iam apostolica aetate,(18) nec non viduorum. Per castitatis perpetuae votum uti Regni Dei demonstrationem hi suam consecrant condicionem ut precationi atque Ecclesiae famulatu se devoteant.

CONTEMPLATIONI PLENE DICATA INSTITUTA

8. Ad contemplationem omnino tendentia Instituta, quae ex mulieribus vel viris consistunt, rationem Ecclesiae gaudendi ministrant atque caelestium gratiarum fontem. Sua enim vita et industria sodales religiosi Christum in monte imitantur orantem, dominatum Dei in historiam testificantur, gloriam futuram ante tempus faciunt.

In solitudine et silentio per Verbi Dei auditionem, divini cultus celebrationem, sui ipsorum asceticam exercitationem, per orationem, mortificationem caritatisque fraternae communionem, vitam suam totam navitatemque informant ad Dei contemplationem. Ecclesiali itaque communitati insigne amoris Ecclesiae suum erga Dominum testificationem praestant, atque arcana fecunditate apostolica conferunt ad expansionem Populi Dei.(19)

Optare propterea licet ut *maiorem usque disseminationem iuniores apud Ecclesias* experiantur vitae contemplativae multiformes rationes veluti declaratio planae insertionis Evangelii, illis maxime in orbis regionibus ubi latius aliae religiones sparsae sunt. Hoc efficaciter testari sinet vigorem traditionum christianae ascesis atque mysticae doctrinae atque favebit ipsi interreligioso dialogo.(20)

APOSTOLICA VITA RELIGIOSA

9. In occidentali orbe aliae complures vitae religiosae institutiones aetatum decursu effloruerunt, in quibus innumerabiles homines, saeculum respuentes, per publicam consiliorum evangelicorum professionem Deo sese tradiderunt, pro peculiari charismate et in stabili quadam vitae communis forma(21) *ad multiplex populi Dei apostolicum ministerium*. Eiusmodi sunt variae familiae Canonicorum Regularium, Ordines mendicantes, Clerici Regulares atque generatim virorum ac mulierum religiosae Congregationes apostolicae operae missionalique destinatae et operibus multiplicibus quae excitare potuit christiana caritas.

Mirabiliter varia est testificatio, in qua quasi in speculo referuntur multiplicia dona fundatoribus ac conditricibus a Deo distributa, qui, Spiritus Sancti impulsui oboedientes, interpretari temporum signa scierunt ac illuminata mente necessitatibus respondere paulatim exorientibus. Eorum ingredientiis vestigiis tot alii sermone et opere studuerunt Evangelium sua in vita quasi corpore induere, ut sua quisque aetate revocarent vivam Iesu praesentiam qui insigniter est Consecratus et Apostolus Patris. Ideo religiosi religiosaeque necesse est quoque saeculo se ipsi in Christo Domino tamquam in speculo contueantur suaque in precatione altam cum Eo sensuum communionem alant,(22) unde omnis eorum vita penetretur animo apostolico et omnis pariter industria apostolica contemplatione pervadatur.(23)

INSTITUTA SAECULARIA

10. Spiritus Sanctus mirabilis ipse artifex donorum diversitatis, nostris quidem diebus *nova consecratae vitae genera* evocavit, veluti si, ad consilium quoddam providentiae, novis respondere velit postulatis quibus hodie occurrit Ecclesia suum inter homines exsequens munus.

In *saecularia Instituta* praepriis intenditur animus, quorum contendunt sodales *consecrationem Deo factam compiere in terris vivendo* per evangelicorum consiliorum professionem intra temporalis societatis adiuncta, ut ita quasi fermentum sapientiae sint gratiaeque testes media in ipsa culturali vita oeconomica et politica. Per coniunctionem, quae eorum est praecipua, condicionis saecularis cum religiosa consecratione ipsi *recentes Regni Christi vires in societatem inicere* cupiunt ea mente ut intrinsecus terrarum orbem immutent ipsa Beatitudinum virtute. Hoc pacto, dum plena eorum condicio pertinendi ad Deum eos plane servituti Dei devovet, eorum industria communibus in laicorum condicionibus, Spiritu instigante, aliquid imbuendis affectu evangelico saecularibus rebus confert. Adjuvant ita saecularia Instituta ut, secundum cuiusque peculiare charisma, efficax in societate Ecclesiae confirmetur praesentia.(24)

Magni etiam pretii partes sustinent *saecularia Instituta clericalia*, in quibus sacerdotes ad presbyterium dioecesanum pertinentes, etiam cum eorum quibusdam tribuitur Instituto in suo incardinatio, Christo consecrantur consilia evangelica perficientes proprio ex charismate. Reperiunt ipsi in sui Instituti spiritalibus divitiis validum adiumentum ut ardentem agant spiritalitatem sacerdotii peculiarem atque sic communionis magnanimaeque apostolicae operae fermento sint inter confratres.

VITAE APOSTOLICAE SOCIETATES

11. peculiari deinde dignae sunt commemoratione *vitae apostolicae Societates* seu communis vitae, virorum et mulierum, quae suo quaeque genere proprium apostolicum vel missionale persequuntur propositum. Earum in multis, quarum sacra vincula ab Ecclesia publice agnoscuntur, evangelica consilia expresse suscipiuntur.

Verumtamen etiam haec earum consecrationis proprietates ab Institutis religiosis et saecularibus Institutis illas distinguit. In tuto est collocanda ac provehenda huius vivendi formae proprietates, quae recentiora per saecula tot tantosque peperit sanctitatis et apostolatus fructus, praesertim in caritatis provincia ac in missionali Evangelii propagatione.(25)

NOVA CONSECRATAE VITAE GENERA

12. Perennis Ecclesiae iuventus etiam hodie sese ostentare pergit: proximis enim decenniis, post nempe Concilium Vaticanum II, *novae sive renovatae formae exstiterunt ipsius consecratae vitae*. Saepenumero de Institutis agitur quae prioribus iam exstantibus similia sunt, verum ex novis spiritalibus et apostolicis impulsionibus enata. Vitalis eorum vigor oportet ab Ecclesiae auctoritate excutiatur, cuius est necessarias experiri probationes quibus et finis concitantis veritas confirmetur simulque nimia institutionum inter se consimilium multitudo vitetur, imminente scilicet periculo ne magno cum detrimento in parvulos manipulos diffringantur. Alias vero de experimentis agitur primis quae propriam quandam in Ecclesia identitatem quaerunt atque praestolantur donec a Sede Apostolica publice agnoscantur, cuius solius est ultimum ferre iudicium.(26)

Testificantur novae hae vitae consecratae formae, quae antiquis subiunguntur, constans illud invitamentum quod plena sui donatio Domino facta, communitatis apostolicae species, ipsius foundationis charismata non cessant exserere in hanc nostram aetatem, et pariter indicium sunt donorum Spiritus Sancti inter se complementum.

Attamen in novitate ipsa non Spiritus sibi contradicit. Hoc inde comprobatur quod nova genera consecratae vitae non dimoverunt praecedentia. Intra sic multiplicem varietatem adservari potuit fundamentalis unitas eandem propter vocationem ut quis perfectam conquirens caritatem Iesum sectetur castum, pauperem atque oboedientem. Quemadmodum in formis iam vigentibus reperitur, haec vocatio etiam ita in illis poscitur quae ut novas se praebent.

ADHORTATIONIS APOSTOLICAE FINIS

13. Operum synodali uberem Nos colligentes proventum, universam convertimur ad Ecclesiam hac ipsa Apostolica Adhortatione ut non unis consecratis hominibus, verum etiam pastoribus fidelibusque *fructus comparationis alicuius stimulantis* offeramus, cuius progressionibus invigilare non destitit Sanctus Spiritus sua per veritatis amorisque munera.

His renovationis annis obiit difficile laboriosumque tempus consecrata vita perinde ac ceterum reliquae vivendi viae in Ecclesia. Abundavit eadem haec aetas exspectationibus, conatibus et renovationis propositionibus eo nimirum spectantibus ut consiliorum evangelicorum professio corroboraretur. Verum haud contentionibus laboribusque caruit idem temporis spatium, quo videlicet experientiae vel beneficae non semper secundis consummatae sunt effectibus.

Difficultates tamen ad animi debilitatem minime adducere debent. Oportet potius nova alacritate vires recipere, quia consecratae renovatae vitae ac roboratae Ecclesia eget spiritali apostolicoque auxilio. Hac ideo post-synodali Adhortatione appellare volumus religiosas communitates nec non ipsas consecratas personas eodem quidem animo quo epistola christianis Antiochenis ex Concilio Hierosolymitano data respirabat, dum simul idem illud experiri confidimus licitum quod tunc descriptum fuit: « Quam cum legissent, gavisissimi sunt super consolatione ». (27) Nec id solum: speramus enim etiam augescere posse laetitiam totius Dei populi, qui melius vitam consecratam perspicere, magis conscia mente gratias reddere omnipotenti Deo hoc pro insigni dono poterit.

Animum nostrum benigne quidem Synodi sodalibus aperientes, fructuose utiliterque uti sumus sententiis praestantibus quae per actuosas Synodi sessiones prodierunt, quibus assidue interesse voluimus. Eodem aequabiliter tempore universo Dei Populo ministrare studuimus catechesis institutiones quasdam ordinatas de consecrata vita in Ecclesia. In iis praecepta revocavimus quae iam in documentis insunt Concilii Vaticani II, quod quidem clarum exstitit destinatum subsequentium doctrinalium enucleationum ipsiusque considerationis a Synodo effectae dum eius peragebantur ardentibus elaborationibus.(28)

Dum sane optamus ut Ecclesiae filii, praesertim vero consecratae personae amanti animo hanc etiam accipiant Adhortationem, vota facimus ut progrediatur pervestigatio ad altius eximium vitae consecratae donum excutiendum triplici illo modo consecrationis communionis et missionis, utque consecratae personae, arte cum Ecclesia cumque eius Magisterio coniunctae nova detegant incitamenta unde spiritali et apostolica ratione nascentibus obviam procedant provocationibus.

CAPUT I

Confessio Trinitatis

Ad christologicas trinitariasque origines consecratae vitae

TRANSFORMATI CHRISTI EFFIGIES

14. Evangelicum vitae consecratae fundamentum conquirendum est peculiari in illa necessitudine quam Iesus cum quibusdam suis iniit discipulis, quos nempe non solum ut Regnum Dei suam acciperent in vitam est hortatus, verum etiam ut eandem omnem vitam in huius Evangelicae causae ministerium destinarent, omnibus posthabitis rebus et ipsi illius *vitae formam* proxime imitantes.

Talis quidem « Christiformis » existens, decursu saeculorum tot baptizatis proposita, duci tantummodo potest singulari ex vocatione et pro spiritus dono proprio. Etenim in illa perducitur baptismalis consecratio ad

fundamentalem quandam in Christi sequela responsionem, per consiliorum evangelicorum susceptionem quorum primum necessariumque est castitatis propter Regnum Caelorum sacrum vinculum.(29) Haec autem unica Christi sequela suis in fontibus semper denotat consilium Patres proptereaque fundamentum suapte natura christologicam et pneumatologicam notam praebet, dum trinitariam vitae christianae maxime vividam declarat indolem, cuius iam quodammodo adimpletionem antecedit *eschatologicam* ad quam Ecclesia contendit.(30)

Complures inveniuntur in Evangelio Christi voces atque gestus quibus peculiaris huius vocationis collustratur sensus. Ut tamen uno veluti conspectu simul necessariae eius percipiantur notae, utilissimum videtur oculos in splendentem Christi vultum intendere intra Transfigurationis mysterium. Hanc enim ad « iconem » omnis antiqua refertur spiritalis traditio, quotiens contemplativam vitam coniungit cum Iesu « in monte » oratione.(31) Ad eam praeterea ipsae « actuosae » rationes vitae consecratae quadamtenus redigi possunt, quandoquidem non una gloriae Christi revelatio est Transfiguratio, verum etiam praeparatio ad eius amplectendam crucem. Prae se enim fert motum quandam « ascendentium in montem » atque « de monte descendentium »: discipuli qui intima Magistri familiaritate usi sunt, aliquantisper trinitariae vitae sanctorumque communionis circumdati fulgore, paene ad aeterni aevi orbem abrepti, repente ad cotidianam reducuntur vitam ubi non cernunt nisi « Iesum solum » in naturae humanae humilitate, atque monentur ut in vallem revertantur ubi cum ipso laborem persolvant ipsius Dei consilii crucisque fortiter suscipiant viam.

« ET TRANSFIGURATUS EST ANTE EOS... »

15. « *Et post dies sex assumit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius et ducit illos in montem excelsum seorsum. Et transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut lux. Et ecce apparuit illis Moyses et Elias cum eo loquentes.*

Respondens autem Petrus dixit ad Iesum:

"Domine, bonum est nos hic esse. Si vis, faciam hic tria tabernacula: tibi unum et Moysi unum et Eliae unum".

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos; et ecce vox de nube dicens:

"Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite".

Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde.

Et accessit Iesus et tetigit eos dixitque eis: "Surgite et nolite timere".

Levantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Iesum.

Et descendentibus illis de monte, praecepit eis Iesus dicens:

"Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat" ».(32)

Transfigurationis eventus *decretorium momentum in Iesu ministerio* designat. Revelationis est eventus quae in discipulorum animis fidem corroborat eosque ad Crucis praeparat tragoediam atque resurrectionis antecapit gloriam. Perpetuo hoc mysterium repetit vivendo Ecclesia utpote populus in itinere ad occursum eschatologicum suo cum Domino. Quemadmodum tres praeoptati Apostoli, transformatum Christi vultum contemplatur Ecclesia ut se in fide confirmet et periculum declinet ne ante deformatum ipsius vultum in Cruce perturbetur. Hic et illic illa Sponsa coram Sponso consistit, eius particeps mysterii eiusque luce circumfusa.

Eadem hac luce omnes illius attinguntur filii et filiae, *cuncti similiter ad Christi sequelam vocati* in eo supremum propriae vitae sensum reponentes ut cum Apostolo dicere possint: « Mihi vivere Christus est ».(33) Verumtamen singulariter *lucem experiuntur ex Verbo incarnato profluentem* sine dubio homines ad vitam consecratam accessiti. Evangelicorum enim consiliorum professio *tamquam signum vaticiniumque* illos ostendit fratrum communitati ipsique mundo. In iis ideo fieri non potest quin imaginem quandam vocis habeant verba Petri quasi in exstasi prolata: « Bonum est nos hic esse ».(34) Quae verba patefaciunt quidem totius christianae vitae christocentricam contentionem. Sed singulari etiam eloquentia *absolutum* expriment characterem in quo vocationis ad consecratam vitam densatur alta alacritas: « Quam pulchrum est Tecum commorari, Tibi nos dedicare, in Te unum omnem nostram dirigere vitam ». Re vera, qui specialis huius communionis amoris cum Christo recepit donum, eius splendore ut raptum se percipit: Ipse enim est « speciosus forma ... prae filiis hominum ».(35) Incomparabilis ille.

« HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS: IPSUM AUDITE! »

16. Patris appellatio tres hortatur discipulos in exstasim captos ut in Eo omnem reponant fiduciam Eumque vitae suae centrum constituent. Novam sane altitudinem a voce e caelo edita comparat invitatio qua Iesus in ipso vitae publicae limine eos ad suam vocaverat sequelam eosque ab usitatis eripuerat negotiis ut in suam admitteret consuetudinem. Ex hac praecipue singulari gratia intimae familiaritatis profluit in vita religiosa et facultas et necessitas donationis plenae sui ipsius in consiliorum evangelicorum professione. Prius et plus quam renuntiatio haec sunt *propria mysterii Christi receptio*, in media Ecclesia completa.

Intra enim vitae christianae unitatem diversae vocationes velut radii sunt unici luminis Christi « super faciem Ecclesiae resplendentis ».(36) Pro suae vocationis saeculari natura eatenus *laici* referunt Verbi incarnati mysterium quatenus id totius mundi Alpha et Omega existit, fundamentum et regula virtutis omnium rerum creaturarum. Christi vicissim capitis pastorisque imagines vivae sunt *ministri sacri*, qui suum populum hoc tempore illius « iam et nondum » regit, praestolantes eius cum gloria reditum. Concreditur *consecratae vitae* officium indicandi Filium Dei hominem factum sicut *eschatologicam metam ad quam omnia tendunt*, splendorem coram quo reliquae omnes expallescent luces, pulchritudinem infinitam quae sola hominis cordi

penitus satisfacere potest. Consecrata igitur vita non tantum illud postulat ut aliquis Christum sequatur toto corde, Eum amando super patrem et matrem, super filium et filiam,(37) sicut a quolibet exposcitur discipulo, sed ut ea vivatur ratione qua totius existentiae assensio Christo accommodata significetur quae universam contentionem prodat praecipientem, prout semper sinunt atque ad charismata propria, eschatologicam perfectionem.

Per consiliorum namque professionem non modo de Christo haurit homo consecratus vitae suae significationem, verum in se redintegrare, quantum fieri potest, nititur « formam quoque vitae, quam Filius Dei accepit mundum ingrediens ».(38) *Virginitatem* amplectens suum efficit virginalem Christi amorem quem hominibus confitetur uti unigenitum Filium, unum cum Patre;(39) eius dein *paupertatem* imitans, Filium eum profitetur, qui a Patre omnia recipit eique omnia in amore restituit;(40) suae libertatis sacrificio adhaerescens ad filialis eius *oboedientiae* mysterium, infinito modo et amatum et amantem eum profitetur, qui sola Patris voluntate gaudet,(41) quocum coniungitur perfecte et a quo in omnibus dependet.

Hanc « conformativam » inducens mysterii Christi assimilationem, consecrata vita peculiari titulo implet illam « *Trinitatis confessionem* » qua cuncta signatur christiana vita, dum sublimem Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti admiratam venustatem agnoscit et cum laetitia testificatur benevolam ipsius dignationem erga omnem hominem.

I

Ad Trinitatis laudem

A PATRE AD PATREM: DEI INCEPTUM

17. « Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite! ».(42) Gloriam Domini Iesu contemplatio in Transfigurationis icone ante omnia detegit personis consecratis Patrem omnium bonorum conditorem ac largitorem, qui ad se creaturam quandam suam allicit (43) singulari quodam amore et ad peculiare quoddam munus. Huic obtemperans invitationi intima cum attractiva virtute coniunctae, vocata persona Dei amori se tradit qui ad suum solius ministerium eam vocat, totamque se Ipsi devovet et eius salutis consilio.(44)

Hic vocationis ad vitam consecratam significatio tota consistit: totum Patris ipsius inceptum est.(45) quod ab iis qui electi sunt postulat responsionem.(46) Huius gratuiti Dei amoris experimentum adeo intimum vehemensque est ut eadem persona sibi respondendum esse sentiat absoluta vitae suae donatione, omnia tam praesentia quam futura illius manibus commendans. Hac prorsus de causa, ad sancti Thomas Aquinatis mentem, intellegi potest personae consecratae identitas, initio ducto ab ipse universitate eius doni, quod holocausto vero par iudicari potest.(47)

PER FILIUM: IN CHRISTI VESTIGIIS

18. Filius, qui ut via ad Patrem ducit,(48) omnes vocat quos dedit ei Pater(49) eam ad sequelam qua tota ordinatur vita. Ab aliquibus tamen - vitae nempe consecratae sodalibus - deditioem universalem flagitat, quae secum infert omnium rerum abdicationem(50) ut intime cum Eo vivant(51) eumque sequantur quocumque ierit.(52)

In Iesu vultu,(53) qui est « imago Dei invisibilis », (54) splendor gloriae Patris,(55) excelsitas percipitur aeterni infinitique amoris qui radices ipsius existentiae tangit.(56) Qui eo se sinit capi homo, non potest quin omnia deserat eumque sequatur.(57) Haud secus ac Paulus arbitratur omnia « detrimentum esse propter eminentiam scientiae Christi Iesu », cuius in comparatione non dubitat affirmare: « Omnia ... arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam ».(58) Magnopere cupit unum idem cum Illo fieri, eiusque affectus vivendique mores sibi asciscere. Hoc consilium omnia relinquendi ac Dominum sequendi(59) rationem efficit omnibus vocatis hominibus valentem omnibusque aetatibus.

Evangelica consilia, quibus nonnullos Christus appellat ut suam virginis vitam secum partiantur et pauperis et oboedientis, poscunt et ostendunt, in iis quotquot ea complectuntur, *expressam cupiditatem se Illi penitus conformandi*. « Vivendo in oboedientia, sine proprio et in castitate », (60) testificantur consecrati homines Exemplar esse Iesum in quo consummationem suam omnis assequitur virtus. Etenim eius species vitae castae, pauperis et oboedientis elucet ut severissimus modus Evangelii vivendi his in terris, modus qui dici potest *divinus*, quoniam receptus est ab Ipso Homine-Deo tamquam significatio eius coniunctionis Filii unigeniti cum Patre et cum Spiritu Sancto. Haec causa est cur in christiana traditione semper factus sit sermo de *concreta vitae consecratae praestantia*.

Nec vero negari licet consiliorum evangelicorum observationem secum importare viam insigniter intimam ac fecundam communicandi ipsius *operis Christi* ad Mariae Nazarethanae exemplum, primae scilicet discipulae, quae in divini consilii ministerium per integram sui ipsius donationem tradere consensit. Omne enim munus eodem incipit animi habitu quem Maria in annuntiatione prodidit: « Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum ».(61)

IN SPIRITU: A SPIRITU SANCTO CONSECRATI

19. « Nubes lucida obumbravit eos ».(62) Transfigurationis insignita spiritalis explanatio Spiritus Sancti imaginem hac in nube detegit.(63)

Perinde ac omnis christiana vita, etiam ad consecratam vitam vocatio arte cum Spiritu Sancti coniungitur opere. Ipse enim per saecula novos semper allicit homines ut electionis ita obligantis fascinationem percipiant. Eo scilicet agente quadamtenus iterum experiuntur illi prophetae Ieremiae adfectum: « Seduxisti me, Domine, et

seductus sum ». (64) Spiritus enim responsionis plenae cupiditatem excitat; ipse praeterea facit ut eadem voluntas crescat cum ad maturationem perducit affirmantem responsionem eiusque fidelem sustinet executionem; ille vocatorum animum fingit et conformat Christo casto pauperi et oboedienti eos aptans eosque impellens ut eius munus suum faciant. Cum a Spiritu se duci patiuntur in perpetuo purificationis itinere, fiunt singulos in dies *homines Christiformes*, continuatio in historia singularis praesentiae Domini resuscitati.

Intuitu quodam acerrimo Ecclesiae Patres hoc spiritale iter *phylocaliam* appellaverunt, sive *divinae pulchritudinis amorem*, quae bonitatis divinae est fulgor. Qui Spiritus Sancti virtute ducitur paulatim ad plenam cum Christo conformationem, in se lucis inaccessibilis radium refert suaque in peregrinatione terrestri procedit ad inexhaustum usque lucis Fontem. Hoc modo consecrata vita significatio evadit singulariter profunda Ecclesiae Sponsae, quae a Spiritu instructa ut Sponsi in se repetat lineamenti, se Illi exhibet « gloriosam ... non habentem maculam aut rugam aut aliquid eiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata ». (65)

Idem proinde Spiritus non de hominum historia vocatos a Patre subtrahit, verum eos ad fratrum et sororum servitutem destinat proprias secundum eorum vitae condiciones, eosque dirigit ut munia peculiaria compleant secundum Ecclesiae hominumque necessitates per diversorum Institutorum propria charismata. Hinc quidem multiplices vitae consecratae enascuntur formae, quibus Ecclesia est « variis donis filiorum suorum decorata ... sicut sponsa ornata viro suo » (66) » (67) et omnibus opibus locupletatur suum in mundo ut officium exsequatur.

EVANGELICA CONSILIA, TRINITATIS DONUM

20. Ante omnia ideo sunt evangelica consilia *sanctissimae Trinitatis donum*. Annuntiatio est vita consecrata earum rerum quas suo amore Deus efficit, sua bonitate et pulchritudine. Nam « status religiosus ... Regni Dei super omnia terrestria elevationem eiusque summas necessitudines peculiari modo patefacit; supereminentem quoque magnitudinem virtutis Christi regnantis atque infinitam Spiritus Sancti potentiam, in Ecclesia mirabiliter operantem, demonstrat ». (68)

Primum illud est vitae consecratae officium ut *adspectabilia reddat* mirabilia quae in hominum vocatorum fragili natura operatur Deus. Non verbis, sed transfiguratae vitae suadenti eloquio testantur ipsi haec mirabilia gratiae portenta, quae Dominus exsequitur in iis quos Ille amat, nuntiando hominum stupori respondent illi. Quatenus consecrata persona a Spiritu sinit se perducere ad perfectionis culmen, eatenus exclamare valet: « Pulchritudinem video et considero claritudinem, gratiae fulgorem tuae refero et attonitus hunc contemplor ineffabilem splendorem; de mentis potestate exeo, dum de me ipse cogito; qualis fuerim et quid sim factus video. O rem miram! a me caveo, verecundia reverentia metu abstractus, ut ante te positus; nescio quid faciam timidus effectus, ubi consistam, ad quid appropinquem, ubi haec membra locem quae ad te pertinent, ad quae opera, ad quas actiones eadem destinem, haec divina mirabilia me obstupefacientia ». (69) Fit hoc modo consecrata vita unum quoddam vestigium eorum quae in historia Trinitas relinquit, ut vim rapientem atque cupidinem divinae venustatis homines animadvertere possint.

IN CONSILIIS TRINITATIS VITAE REVERBERATA IMAGO

21. Cum ad sanctam sanctificantemque Trinitatem referuntur evangelica consilia, eorum patescit altior significatio. Declarant enim amorem quem adversus Patrem in Spiritu Sancti unitate habet Filius. Iis in exsequendis vivit consecrata persona vehementiore quadam vi trinitariam et christologicam naturam qua universa signatur christiana vita.

Caelibum virginumque *castitas*, quatenus significatio est donationis Deo factae *indiviso corde*, (70) effectum praebet *infiniti amoris* quo in vitae trinitariae secreta altitudine tres iunguntur divinae Personae; amorem hunc Verbum incarnatum usque ad vitae suae effusionem est testificatum; amor hic « in cordibus nostris per Spiritum Sanctum » diffusus est (71) atque ad caritatis plenae responsionem incitat erga Deum et fratres.

Deum unicum esse verum hominis thesaurum confitetur *paupertas*. Ad Christi specimen, qui « propter nos egenus factus est, cum esset dives », (72) impleta eadem paupertas declaratio evadit *integrae donationis sui* quam mutuo inter se tres divinae Personae efficiunt. Donum est quod in creatione redundat seque plene in Verbi Incarnatione eiusque morte redemptrice aperit.

Secundum Christi imitationem observata *oboedientia*, cuius erat cibus Patris voluntatis procuratio, (73) pulchritudinem liberantem patefacit *filialis et haud servilis famulatus*, ubi conscientia priorum officiorum viget et mutua valet fiducia, quae in historia *amorosae congruentiae* inter divinas tres Personas est repercutio.

Quapropter destinatur consecrata vita ad perpetuo perscrutandum evangelicorum consiliorum donum veriore semper maioreque amore ad rationem *trinitariam*: erga *Christum* amore, qui ad sui ipsius compellat familiaritatem; erga *Spiritum Sanctum* a quo ad percipiendos eius impulsus animus aptatur; erga *Patrem*, qui prima est scaturigo extremaque vitae consecratae meta. (74) Fit igitur confessio simul et Trinitatis declaratio, cuius mysterium Ecclesiae indicatur veluti exemplar atque omnis vitae christianae formae origo.

Ipsa quoque *fraterna vita*, cuius auxilio consecratae personae contendunt ut in Christo tales vivant quibus sit « cor et anima una », (75) sicut eloquens exhibetur Trinitatis confessio. *Patrem* enim illa profitetur, qui unam solam omnium hominum fieri vult familiam; *incarnatum Filium* fatetur, a quo in unitate colliguntur redempti quibus viam commonstrat exemplo suo, precatione, verbis suis et in primis morte sua, quae fons reconciliationis divisus dispersisque hominibus existit; *Spiritum Sanctum* confitetur uti Ecclesiae unitatis principium, ubi Ille haud spirituales coetus fraternasque generare desinit communitates.

UT CHRISTUS PRO DEI REGNO CONSECRATI

22. Sancto impellente Spiritu consecrata vita « pressius imitatur atque in Ecclesia perpetuo repraesentat »(76) speciem vitae quam Iesus, maximus ipse consecratus atque Patris missionarius pro illius Regno, amplexatus est discipulisque sese sequentibus proposuit.(77) Sub Iesu consecrationis lumine, detegi potest in Patris incepto omnis sanctitatis originis primarius fons consecratae vitae. Ipse enim Iesus est quem « unxit ... Deus Spiritu Sancto et virtute », (78) « quem Pater sanctificavit et misit in mundum ». (79) Patris complectens consecrationem, se vicissim Filius Illi devovet propter homines: (80) virginitatis eius vita et oboedientis et paupertatis filialem eius aperit animum totum Patris consilio deditum. (81) Quandam consecrationis vim omnibus terrestribus eventibus vitae illius confert eius absoluta oblatio.

Insignite oboediens Ille est, qui descendit de caelis non suam ut faceret voluntatem verum eius qui misit eum. (82) Suum reponit in Patris manibus vivendi agendique modum. (83) Filii affectu oboediens, speciem induit famuli: « Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, ... factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis ». (84) Hac in docilitatis affectione erga Patrem Christus, licet vitae coniugalis dignitatem sanctitatemque et sanciat et defendat, virginalis tamen vitae figuram suscipit atque revelat ita *excelsam praestantiam et arcanam spiritalium virginitatis fecunditatem*. Ipsius animus deditus omnino Patris consilio proditur etiam seiunctione a bonis terrestribus: « Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis ». (85) *Paupertatis eius magnitudo* perfecta ostenditur in omnium quae eius sunt rerum donatione Patri facta.

Viventem memoriam existendi et modi agendi Iesu ut incarnati Verbi coram Patre fratribusque constituit revera consecrata vita. Ipsa enim vitae ac nuntii Salvatoris viva exstat traditio.

II

Inter Pascha et consummationem

A MONTE THABOR AD CALVARIAM USQUE

23. Coruscans Transfigurationis eventus tragoediam haud minus gloriosam Calvariae praeparat. Una cum Moyse et Elia intuentur Dominum Iesum Petrus, Iacobus et Ioannes - prout refert evangelista Lucas - quibuscum Ille tractat suum « exodum ... quem completurus erat in Ierusalem ». (86) Intenduntur ergo apostolorum oculi in Iesum qui de Cruce cogitat. (87) Virginalis eius erga Patrem amor nec non in omnes homines maxime illic declarabitur; ad omnium rerum destitutionem eius perveniet paupertas; oboedientia eius usque ad vitae donum.

Invitantur discipuli ac discipulae ut exaltatum contemplantur Iesum in Cruce, unde « Verbum a silentio progrediens », (88) suo in silentio ac solitudine more prophetico perfectam Dei transcendentiam affirmat super cuncta creata, sua praeterea in carne peccatum nostrum vincit atque ad se omnem allicit virum ac feminam, novam resurrectionis vitam singulis largitus. (89) In Christi crucifixi contemplatione suum impulsus universae reperiunt vocationes: ex ea, per principale Spiritus donum, dona omnia suam ducunt originem ac praesertim consecratae vitae donum.

Post Mariam Iesu Matrem percipit Ioannes hoc munus, discipulus quem Iesus amabat, testis qui simul cum Maria sub Cruce adstabat. (90) Illius consilium totum sese devovendi amoris divini est effectus eum circumdantis, sustentantis eiusque replentis animum. Iuxta Mariam, inter primos Ioannes est magnae multitudinis virorum ac mulierum qui a primordiis Ecclesiae usque ad eiusdem finem, amore Dei permoti, se vocari sentiunt ut Agnum immolatum ac viventem, quocumque ierit, sequantur (91). (92)

PASCHALIS INDOLES CONSECRATAE VITAE

24. Variis sub vitae formis a Spiritu saeculorum decursu excitatis, experitur consecrata persona veritatem Dei-Amoris eo propius et altius quo magis sub Christi Cruce ponitur. Qui hominum oculis sua in morte deformatus videtur omnique venustate ita destitutus ut adstantes suos vultus operiant, (93) omnino in Cruce pulchritudinem potentiamque Dei amoris plene aperit. Sic nempe id celebrat sanctus Augustinus: « Pulcher Deus, Verbum apud Patrem. Pulcher ergo in caelo, pulcher in terra; pulcher in utero, pulcher in manibus parentum; pulcher in miraculis, pulcher in flagellis; pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem; pulcher deponens animam, pulcher recipiens; pulcher in ligno, pulcher in sepulcro, pulcher in caelo. In intellectum audite Canticum, neque oculos vestros a splendore pulchritudinis illius avertat carnis infirmitas ». (94)

Hunc amoris splendorem refert consecrata vita quia sua fidelitate erga Crucis mysterium se credere confitetur in Patrisque amore vivere et Filii et Spiritus Sancti. Hoc pacto conducit illa ut viva asservetur in Ecclesia conscientia: *Crucem videlicet amoris Dei esse summam abundantiam super homines affluentis*, documentum esse magnum salvificae Christi praesentiae. Id vero praesertim in difficultatibus atque tentationibus. Hoc continenter fortiterque usque ad altam admirationem testantur plurimi homines consecrati saepius in adiunctis versantes difficilibus, immo in vexationis ac martyrii condicionibus. Eorum uni Amori fidelitas demonstratur et roboratur in absconditae vitae humilitate, in dolorum receptione ut « ea quae desunt passionum Christi » in carne propria adimpleantur, (95) in tacita abnegatione, in sui commendatione sanctae Dei voluntati, in tranquilla perseverantia etiam deficientibus viribus et propria auctoritate. Proficiscitur ex fidelitate erga Deum etiam donatio sui erga proximum, quam non sine incommodo vivunt consecratae personae continenter pro fratrum necessitatibus precantes, magnanimitate pauperibus et aegrotis famulantes, aliorum angustias communicantes, sollicito animo angores Ecclesiaeque dolores participantes.

CHRISTI TESTES IN ORBE

25. E paschali pariter mysterio profluit *missionalis opera* quae quidem ratio universam Ecclesiae vitam vehementer signat. Praecipue vero in consecrata vita ipsa completur. Namque, praeter etiam omnia charismata propria illorum Institutorum quae sese missioni *ad gentes* dedunt aut quae in opera generis proprie apostolici incumbunt, dici potest *missionalis indoles intrinsecus insidere cuius vitae consecratae figurae*. Quatenus vitam uni Patri devotam,(96) a Christo assumptam,(97) a Spiritu animatam,(98) vivit consecratus homo, eatenus etiam efficaciter Domini Iesu operi adlaborat(99) suasque admodum alta ratione partes ad orbem renovandum confert. Primum vero missionale officium gerunt consecratae personae erga se ipsae, idque animos suos Spiritus Christi motibus aperientes exsequuntur. Eorum enim testimonium adiuvat cunctam Ecclesiam ut reminiscatur primo loco reponi gratuitum Dei famulatum, qui quidem effici potest Christi gratia interveniente per Spiritus donum credentibus communicata. Pax ita a Patre descendens hominibus nuntiatur, devotio quam Filius testificatur, ac laetitia quae Sancti Spiritus est fructus.

Erunt consecrati homines et ipsi missionarii, illam cum primis conscientiam altius perscrutati a Deo se vocatos electosque esse, ad quem idcirco universam suam dirigere debent vitam et quodcumque sunt vel possident deferre, ab impediendis se expedientes quae amoris responsionis summam praepedire possint. Hoc quidem modo *verum Christi inter homines signum* evadere possunt. Efficere debet etiam eorum vivendi genus ut optima illa species effulgeat quam profitentur, quandoquidem vivum Dei signum se praebent atque eloquentem, licet interdum tacitam, Evangelii praedicationem.

Nulla non tempore, hodierna verum nominatim in societate quae tam saepe adeo saeculari affectu penetratur et tamen signorum percipit sermonem, opera est Ecclesiae danda ut *quotidianae vitae in adiunctis se adspectabilem praesentemque exhibeat*. In hanc partem licet Ecclesiae ab hominibus consecratis praecipuum exspectare adiumentum, quippe qui in omnibus vitae condicionibus destinantur ad solidam testificationem reddendam suae ad Christum pertinendi condicionis.

Cum consecrationis plane sit indicium habitus sacer et paupertatis et cum certa quadam religiosa Familia coniunctionis, una cum Synodi Patribus sodalibus religiosis viris ac mulieribus studiose Nos persuademus ut proprium induant habitum, temporum locorumque condicionibus apte accommodatum.(100) Quotiens vero valida id postulant apostolica adiuncta, licebit eis secundum Instituti sui mores regulasque etiam simplex et decorum gestare vestimentum, addito tamen congruo insigni unde eorum agnosci valeat consecratio.

Instituta vero quae a propria origine aut legum suarum vi peculiarem non postulant habitum, curent tamen ut membrorum vestitus sua dignitate et simplicitate vocationis illorum indoli respondeat.(101)

ESCHATOLOGICA VITAE CONSECRATAE RATIO

26. Cum urgentiores usque appareant hodie apostolicae sollicitudines atque periculum sit ne curatio rerum huius mundi homines magis magisque implicet, consentaneum maxime est oculos et animos in *eschatologicam vitae consecratae naturam* convertere.

« Ubi ... est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum »:(102) unicus Regni thesaurus cupidinem excitat, exspectationem, studium et testificationem. Apud Ecclesiam priscam exspectatum Domini reditum ardentius experiebantur. Hunc spei affectum numquam excolere per saecula desiit Ecclesia: fideles incitare perrexit ut salutem iamiam revelandam respicerent, quandoquidem huius mundi transit figura(103).(104)

Melius hoc in prospectu intellegitur *momentum eschatologici signi* vitae consecratae proprii. Revera doctrina persistit qua ipsa veluti Regni venturi anticipatio exhibetur. Repetit hanc doctrinam Concilium Vaticanum II ita asseverans: « Status religiosus ... magis ... resurrectionem futuram et gloriam Regni caelestis praenuntiat ».(105) Hoc praecipue efficit *virginalis electio*, a maioribus semper tamquam *ultimi mundi praegustatio* percepta, quae iam nunc operatur hominemque integrum transfiguratur.

Suam qui Christo dedicant vitam facere non possunt quin viventes convenire illum cupiant ut cum Eo tandem aliquando in perpetuumque iungantur. Ardens hinc nascitur exspectatio, hinc illa cupiditas « ut in illius amoris focum intus ardentem se mergant quique alius non est nisi Spiritus Sanctus ipse », (106) exspectatio atque cupiditas quae nutriunt dona a Domino largiter tributa iis quotquot quae sursum sunt quaerunt.(107)

Res Domini contuitus reminiscitur consecratus homo: « Non ... habemus hic manentem civitatem », (108) quia « noster ... municipatus in caelis est ».(109) Id necessarium unum quaerere: « Regnum Dei et iustitiam eius », (110) sine intermissione invocato Domini adventu.

ACTUOSA EXSPECTATIO: OFFICIUM ET VIGILANTIA

27. « Veni, Domine Iesu! ».(111) Haec exspectatio *minime quid iners est*: quantumvis ad Regnum futurum dirigatur, un operam convertitur et industriam, ut etiamnum praesens adsit Regnum per Beatitudinum spiritus restitutionem qui etiam in hominum societate efficaces valeat excitare iustitiae, pacis, solidaritatis et veniae postulationes.

Affatim hoc ex ipsa vitae consecratae historia demonstratur, quae uberrimos semper edidit fructuum proventus pro mundi salute. Suis donis fiunt consecratae personae Spiritus indicium versus novum quoddam venturum tempus, quod fide illustratur atque spe christiana. *Transit eschatologica intentio in munus*, ut hic et nunc magis magisque affirmetur Regnum. Petitioni illi: « Veni, Domine Iesu! » altera accedit invocatio: « Adveniat Regnum tuum! ».(112)

Qui vigilans expectat dum Christi impleantur promissa, spem suis fratribus infundere valet et sororibus, qui de tempore futuro saepius diffidunt et res in pessimam accipiunt partem. Eius spes innititur Dei promissioni quam continet Verbum revelatum: progreditur hominum historia ad « caelum novum et terram novam », (113) cum Dominus « absterget omnem lacrimam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, quia prima abierunt ». (114)

Vita consecrata huic extremae divinae gloriae illuminationi deservit, cum salutare Dei omnis caro videbit. (115) Hanc rationem Oriens christianus extollit cum monachos tamquam *Dei in terris angelos* iudicat a quibus mundi in Christo renovatio nuntiatur. In Occidente monachismus est memoriae celebratio et vigiliae: *memoria* est miraculorum a Deo effectorum, *vigilia* novissimae spei impletionis. Monachismi vitaeque contemplativae nuntius continenter inculcat hominibus Dei principatum esse pro hominum existentia ubertatem significationis ac laetitiae, cum sit homo ad Deum factus inquietusque donec in Ipso quiescat. (116)

VIRGO MARIA, CONSECRATIONIS AC SEQUELAE EXEMPLAR

28. Ipsa Maria est quae, sine labe originali concepta, pulchritudinem divinam perfectius in se refert. « Tota pulchra » titulus est quo eam invocat Ecclesia. « Coniunctionis necessitudo cum Maria sanctissima, quam suam ob consociationem cum Christo quisque fidelis possidet, magis etiam in vita hominum consecratorum augetur.... Singulis in vitae consecratae Institutis persuasum est primum quoddam pondus habere Mariae praesentiam tum ad spiritalem cuiusque hominis consecrati vitam tum ad firmitudinem, unitatem totiusque communitatis progressionem ». (117)

Maria namque *perfectae consecrationis excelsum exemplar* est, tota in sua ad Deum pertinenti condizione atque deditione. A Domino electa, qui in Illa Incarnationis mysterium perficere voluit, commonefacit consecratas personas *principatus ipsius Dei incepti*. Eodem autem tempore, cum divino Verbo ipsa consenserit, quod in ea est caro factum, se praestat Maria tamquam *exemplum receptae gratiae* ab homine creato.

Cum Iosepho iuxta Christum in abdita Nazarethana vita, adstans Filio decretoriis in publicae eius vitae eventibus, magistra eminet Virgo Maria sequelae sedulaeque servitutis sine ulla condizione. Intra illam, « sacrarium Spiritus Sancti », (118) sic novae creaturae splendor omnis emicat. Ad Eam respicit consecrata vita velut praecelsum specimen consecrationis Patri factae, coniunctionis cum Filio atque erga Spiritum docilitatis, sibi plane conscia: pertinere « ad genus vitae virginalis ac pauperis » (119) Christi idem prorsus valere ac vitae modum Mariae suum facere.

Praeterea deprehendit in Virgine consecrata persona *Matrem sub peculiari omnino titulo*. Nam si nova illa maternitas Mariae in Calvariae loco tributa donum habetur singulis datum christianis, pondus proprium illa adfert iis qui suam Christo vitam plene dedicaverunt. « Ecce mater tua »: (120) Iesu verba ad discipulum « quem diligebat » (121) in consecrata hominis vita vim accipiunt singularem. Vocatur namque ille una cum Ioanne ut Mariam sanctissimam in sua accipiat, (122) amans videlicet eam imitansque ex vocationis suae extrema altitudine et vicissim unicam quandam experiens matris teneritatem. Illum ei amorem largitur Virgo qui vitam quotidie Christo offerre eum sinit, cum Ipso ad hominum salutem cooperans. Quapropter filialis cum Maria necessitudo viam principalem efficit fidelitatis ipsi vocationi iam receptae et auxilium efficacissimum adfert ut quis in ea procedat eamque plenissime vivat. (123)

III

In Ecclesia et pro Ecclesia

« BONUM EST NOS HIC ESSE »:

AD IPSUM ECCLESIAE MYSTERIUM PERTINENS CONSECRATA VITA

29. In Transfigurationis scaena nomine apostolorum loquitur Petrus: « Bonum est nos hic esse ». (124) Christi gloria, quam percepit, extulit quidem eius animum et praecordia, eum tamen non segregavit, immo contra altius coniunxit cum illo « nos » discipulorum. Haec illius « nos » ratio nos adducit ut partes consideremus quas in Ecclesiae mysterio consecrata occupat vita. De vitae consecratae indole consideratio theologica proximis hisce annis novas vias pervestigavit ex Concilii Vaticani II magisterio profectas. Eius sub lumine intellegi potuit professionem evangelicorum consiliorum *sine ulla controversia ad vitam attinere sanctimoniamque Ecclesiae*. (125) Declarat hoc vitam consecratam, ab initio iam praesentem, numquam Ecclesiae deesse posse: est enim veluti pars cui renuntiari non licet et quae eam designat quatenus propriam ipsius exprimit naturam.

Manifesto illud ex eo elucet quod consiliorum evangelicorum professio cum Christi mysterio intrinsecus coniungitur, cum eius sit munus aliquo modo vitae formam ab Eo electam reddere praesentem eamque uti bonum absolutum et eschatologicum indicare. Ipse Iesus, cum quosdam vocavit ut universa desererent eumque sectarentur, hoc induxit vivendi genus quod, impellente Spiritu ipso, paulatim per saecula in multiplices consecratae vitae transiturum erat formas.

Ecclesiae notio ex sacris dumtaxat laicisque ministris consistentis non congruit divini eius Conditoris consilii quae nobis Evangelia ipsa atque Novi Testamenti libri referunt.

NOVA AC PECULIARIS CONSECRATIO

30. In Ecclesiae traditione religiosa professio existimatur tamquam *unica fertilisque baptismalis consecrationis explicatio* quatenus eius auxilio arta cum Christo coniunctio, iam Baptismate incohata, per donum enucleatur plenius declaratae atque impletae conformationis per evangelicorum consiliorum professionem. (126)

Ulterior haec consecratio propriam induit qualitatem ad priorem quod attinet, cum qua non simplex est consociatio neque necessarius quidam effectus.(127) Revera omnis in Christo regeneratus vocatur ut, virtute ex Spiritus dono profecta, castitatem vivat quae suo vitae statui respondeat, oboedientiam praeterea erga Deum et Ecclesiam, rationabilem a corporeis rebus separationem, quandoquidem ad sanctitatem omnes vocantur illam quae caritatis perfectione consistit.(128) Verumtamen ex se non importat baptismus ad caelibatum virginitatemve vocationem, neque possessionis bonorum abdicationem nec cuidam superiori oboedientiam, ea in propria evangelicorum consiliorum ratione. Professio igitur horum consiliorum donum Dei praeponit peculiare non universis concessum, quemadmodum de caelibatu voluntario Iesus ipse adfirmavit.(129)

Huic itaque vocationi *proprium Sancti Spiritus munus* respondet, ut suae vocationi operaeque consecrata persona respondere valeat. Hac de causa, sicut tum Orientis tum Occidentis liturgici testificantur ritus, in professionis monasticae aut religiosae actu nec non in virginum consecratione, in electas personas Spiritus Sancti donum devocat Ecclesia, eorumque oblationem cum Christi sacrificio consociat.(130)

Professio evangelicorum consiliorum *pariter est progressio gratiae in Confirmationis sacramento perceptae*, sed communia excedit postulata chrismalis consecrationis proprium ob Spiritus donum, quod ad novos modos adque sanctitatis et apostolatus fructus viam sternit prout vitae consecratae comprobatur historia.

Ad presbyteros vero quod spectat evangelica consilia professos, experti ipsi persuadent *Ordinis sacramentum singularem in hac consecratione invenire fecunditatem*, cum ponat illa foveatque alicuius interioris cum Domino coniunctionis necessitatem. Sacerdos qui evangelica consilia profitetur praecipue adiuvatur ut mysterii Christi plenitudinem in se denuo experiatur illam etiam propter peculiarem Instituti sui spiritualitatem simulque apostolicam proprii charismatis naturam. In presbytero enim ad sacerdotium adque vitam consecratam vocationes ad altam quandam et acrem unitatem vertunt.

Inaestimabile etiam est pondus quod Ecclesiae vitae conferunt sacerdotes religiosi qui ex toto suo officio contemplationi destinantur. In eucharistica praesertim celebratione Ecclesiae et pro Ecclesia actionem perficiunt, cui suam ipsorum donationem addunt, in communionem cum Christo qui in totius mundi salutem se Patri dedit.(131)

VITAE CHRISTIANORUM NECESSITUDINES DIVERSOS INTER STATUS

31. Multiplices vitae rationes, quibus secundum Domini Iesu consilium ecclesialis vita instituitur, diversas important mutuas necessitudines in quibus aliquamdiu immorari volumus.

Suam propter regenerationem in Christo cuncti christifideles unius communisque participes sunt dignitatis; ad sanctitatem advocantur omnes; ad unici Christi Corporis aedificationem suas partes universi addunt, ex propria quisque vocatione donoque a Spiritu percepto(132).(133) Aequalis omnium Ecclesiae membrorum dignitas Spiritus opus est, Baptismo nititur atque Chrismatis sacramento et Eucharistiae alitur. Atqui opus pariter Spiritus est etiam multiformitas. Ipse enim in ordinata diversarum vocationum communionem, charismatum et ministeriorum constituit Ecclesiam.(134)

Vocationes ad laicalem vitam, ad sacramentale ministerium adque consecratam vitam exemplaria haberi possunt ex eo quod particulares vocationes, uno aliove modo, ad ipsas rediguntur, sive singillatim inspiciuntur sive sumuntur coniunctim, pro Dei donationis divitiis. Inter se praeterea serviunt vicissim, ad Christi Corpus in historia ampliandum et pro eius inter homines munere speciali. Baptismatis et Chrismatis sacramento in Ecclesia omnes consecrantur, verum ministerium ordinatum vitaeque consecrata vocationem distinctam poscunt propriamque consecrationis formam ad peculiare quidem opus.

Ad *laicorum* munus, quorum « est, ex vocatione propria res temporales gerendo et secundum Deum ordinando, regnum Dei quaerere », (135) sufficit baptismalis chrismalisque consecratio, quae cunctis Populi Dei membris est communis. Praeter hanc principalem consecrationem *ordinati ministri* in ipsa Ordinatione illam recipiunt ut apostolicum in tempore prosequantur ministerium. Consilia evangelica amplexantes *consecratae personae* novam peculiaremque percipiunt consecrationem quae etiamsi non est sacramentalis, eas adducit ut suam efficiant in caelibatu, in paupertate et oboedientia vitae formam quam Iesus ipse implevit discipulisque suasit. Licet varia haec genera unum Christi mysterium demonstrent, proprietatem peculiarem quamvis non unicam laici prae se ferunt, saecularitatem nempe, pastores ministeriorum curationem, homines consecrati peculiarem cum Christo virgine paupere oboediente conformationem.

SINGULARE CONSECRATAE VITAE BONUM

32. Hac in donorum congrua summa, cuique principali statui vitae inditur onus monstrandi, suo proprio in ordine, alterutram unius Christi mysterii faciem. Si enim in Evangelio nuntiando inter temporales causas *peculiare munus vita laicalis* induit, intra communionem ecclesialem *pernecessarium ministerium ab iis procuratur qui in sacro Ordine sunt constituti*, praesertim vero ab Episcopis. Officio obstringuntur illi ut Dei populum doctrinis verbi pascant Sacramentorumque dispensatione atque potestatis sacrae perfunctione in commodum totius ecclesialis communitatis quae est ordinata et hierarchico instituto disposita.(136)

Quod vero ad Ecclesiae sanctitatis patefactionem pertinet, *obiectiva assignanda est vitae consecratae praestantia*, qua ipse vivendi modus Iesu Christi uti imagine refertur. Hanc videlicet ob causam bona evangelica declarantur uberrime in illa pleniusque Ecclesiae impletur propositum quod est sanctimonia hominum societatis. Praenuntiat consecrata vita et quadamtenus praeripit futurum illud tempus cum, plenitudine illius caelorum

Regni adepta quod iam in semine mysterioque adest,(137) resurrectionis participes iam non ducent uxores neque nubent, verumtamen angelorum Dei erunt consimiles.(138)

Etenim castitatis perfectae propter Regnum(139) excellentia, optimo quidem iure tamquam totius vitae consecratae reputata « ianua », (140) perpetui Ecclesiae magisterii est argumentum. Ceteroqui vocationem ad matrimonium magni illa aestimat, quo coniuges « fecunditatis Matris Ecclesiae testes et cooperatores existunt, in signum et participationem illius dilectionis, qua Christus sponsam suam dilexit Seque pro ea tradidit ». (141)

Hoc sub prospectu cunctae consecratae vitae proprio evolvuntur viae distinctae inter se at quae se complent. *Penitus contemplationi dediti* religiosi viri religiosaeque feminae, peculiari ratione fiunt Christi imagines in monte orantis.(142) *Vitae activae* consecratae personae eum patefaciunt « turbis regnum Dei annuntiantem vel aegrotos et saucios sanantem ac peccatores ad bonam frugem convertentem, vel pueris benedicentem et omnibus beneficientem ». (143) Peculiare quoddam Regni Dei adventui ministerium praestant consecratae personae in *Saecularibus Institutis*, cum singulari compositione devinciant consecrationis saecularitatisque bonum. Suam in saeculo et a saeculo deductae consecrationem agentes,(144) illae « omnia spiritu evangelico imbuere satagunt ad robur et incrementum Corporis Christi ». (145) Participant hanc ob causam Ecclesiae munus evangelizandi per singulare testimonium vitae christianae sive per adiutricem quam praebent operam ad ordinandas secundum Deum res temporales, suam per cooperationem in communitatis ecclesialis servitium iuxta propriam vitae rationem saecularem.(146)

BEATITUDINUM NUNTIUM TESTARI

33. Munus consecratae vitae peculiare etiam est *in baptizatis conscientiam vivam adservare principalium Evangelii bonorum*, dum redditur « praeclarum et eximium testimonium ... mundum transfigurari Deoque offerri non posse sine spiritu beatitudinum ». (147) Hoc itaque pacto facit consecrata vita ut in ipsa populi Dei conscientia perpetuo appareat quam sit necessarium per vitae sanctitatem respondere amoris Dei in cordibus per Spiritum Sanctum diffuso,(148) atque moribus propriis ostendere sacramentalem illam consecrationem quae in Baptismate, Chrismate vel Ordine, Deo agente, peracta est. Ut enim a sanctitate in sacramentis communicata ad vitae cotidianae sanctitatem transeatur necesse est. Vita consecrata, ipso suo in Ecclesia existendi modo, in famulatum se dedit consecrationis vitae omnium fidelium tum laicorum tum clericorum.

Nec tamen oblivisci licet aliunde et ipsas consecratas personas ex aliarum vocationum testificatione percipere adiumentum aliquod ut vivendo adhaereant omnino Christi atque Ecclesiae mysterio variis in illius partibus. Hanc mutuam ob locupletationem eloquentius fit efficaciusque vitae consecratae munus: illuminare ceteris fratribus ac sororibus veluti metam quandam postremam apud Deum beatitudinem, oculis futuram in pacem conversis.

ECCLESIAE SPONSAE EFFICAX IMAGO

34. Singularem in vita consecrata prae se fert vim sponsalis illa significatio, quae Ecclesiae repetit postulationem ut in plena solaque vivat Sponso proprio deditioe a quo omnia recipit bona. Hac in sponsali ratione quae praecipua est omnis consecratae vitae, mulier, propriam quasi indolem detegens suae cum Domino coniunctionis, se reperit ipsa.

Praestans hac in re est Novi Testamenti narratio qua Maria exhibetur cum apostolis in cenaculo in oratione praestolans Spiritum Sanctum.(149) Vivax ibi perhibetur imago Ecclesiae-Sponsae ad Sponsi nutus animadvertentis atque ipsius donum accipiendum. Fecunditatis ratio praesertim apparet in Petro et ceteris in apostolis eaque in ecclesiali significatur ministerio quod fit instrumentum Spiritus ad generationem novorum filiorum per Verbi largitionem, Sacramentorum celebrationem perque pastoralem curam. Sponsalis autem accessionis ratio praecipua exhibetur in Maria cuius vi Ecclesia fertilem reddit in se vitam divinam per totum suum ut virginis amorem.

Maximam partem semper visa est consecrata vita in Mariae virginis sponsae figura. Tali enim ex virginali amore praecipua quaedam profluit fecunditas, quae adiumentum fert ut in animis nascatur vita divina atque augeatur.(150) Mariae, Evae novae, vestigia ingressa, spiritalem suam fecunditatem exprimit consecrata persona se ipsa praebens Verbum excipientem ut sua sine condicionibus devotione vivaque testificatione ad novam perficiendam hominum naturam proprias conferat partes. Plane sic maternitatem suam manifestat Ecclesia tum per divinae operae beato Petro commendatae participationem tum per responsalem divini doni perceptionem, Mariae pariter propriam.

Ipsa vicissim christianus populus in ministerio ordinato salutis invenit instrumenta, in vita autem consecrata invitamentum ad plenam amoris responsionem cunctis in multiplicibus diaconiae rationibus.(151)

IV

Sanctitatis Spiritu ducti

« TRANSFIGURATA » EXSISTENTIA: AD SANCTITATEM APPELLATIO

35. « Audientes discipuli ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde ». (152) In Transfigurationis narratione, licet variis cum differentiis, in promptu ponunt synoptici scriptores pavoris sensum a quo discipuli corripiuntur. Transfigurati vultus Christi fascinatio minime impedit quominus prae divina Maestate in eos impendente formidine corripiantur. Etenim semper homines coram Dei gloria constituti suam experiuntur exiguitatem

indeque reformidationis sensum deducunt. Eiusmodi reformidatio ad salutem spectat. Commonefacit homines divinae perfectionis simulque instanti provocatione ad « sanctitatem » eosdem urget.

Cuncti Ecclesiae filii, a Patre vocati ut Christum « audiant », *altam prorsus* animadvertunt *ad conversionem adque sanctitatem exoptulationem*. Quae exoptulatio, sicut illustravit Synodus, ad consecratam vitam in primis refertur. Hominum enim consecratorum vocatio ad Regnum Dei ante omnia inquirendum est, in primis, adhortatio ad plenam sui conversionem per ipsius abnegationem ut de Domino prorsus vivatur, ut Deus sit omnia in omnibus. Ad contemplandum testificandumque Christi transfiguratum vultum vocati, iidem consecrati ad « transfiguratum » vocantur vitam.

Hac in re plurimum id significat quod in *postrema relatione* alterius Coetus extraordinarii episcoporum Synodi est adfirmatum: « In circumstantiis difficillimis per totam historiam Ecclesiae semper sancti et sanctae fuerunt fons et origo renovationis. Hodie sanctis vehementer egemus a Deo assidue implorandis. Instituta vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum conscia sint suae specialis missionis in hodierna Ecclesia, atque nos illis pro ea missione animum addere debemus ».(153) Hanc rerum aestimationem suam aequabiliter fecerunt participes huius IX synodalis Coetus cum adseveraverunt: « Per longam Ecclesiae historiam fuit consecrata vita etiam viva praesentia actionis Spiritus, veluti honoratus valde locus amoris consummati in Deum et proximum, testis quoque consilii divini quo totum hominum genus intra amoris civilem cultum, magna evadat Dei filiorum familia ».(154)

Discrevit semper Ecclesia in consiliorum evangelicorum professione viam quandam peculiarem ad sanctitatem. Eadem enim ipsae locutiones quibus illam describit - Dominici ministerii scholam, amoris scholam sanctimoniaeque, viam seu perfectionis statum - sive efficientiam declarant ubertatemque instrumentorum huius formae evangelicae vitae propriorum, sive singulare officium eorum qui eam suscipiunt.(155) Haud fortuito tot exstant consecrati homines qui per saeculorum decursum sanctitatis praeclara reddiderunt testimonia atque opera insignite magnanima et ardua evangelizationis ministeriique perfecerunt.

FIDELITAS ERGA CHARISMA

36. Intra Christi sequelam et amorem erga ipsius personam quaedam deprehenduntur argumenta quae sanctitatis auctum tangunt in ipsa consecrata vita quaeque ideo peculiari hodie in luce sunt ponenda.

Ante omnia postulatam invenitur *fidelitatis ipsi foundationis charismati* ac propterea spiritali cuiusque Instituti patrimonio. Hac enim in ipsa fidelitate erga fundatorum ac fundatricum afflatum, Spiritus nempe Sancti donum, facilius deteguntur fervidiusque vivuntur necessaria vitae consecratae elementa.

Suo namque in ortu habet iam quodque charisma triplicem propensionem principalem: *ad Patrem* in primis, cuius voluntatem exquirere studet amanti animo perpetuum per actum conversionis in quo fons verae libertatis est oboedientia, castitas cordis intentionem indicat nullo finito amore contenti, paupertas autem illam famem sitimque iustitiae nutrit quam pollicitus est Deus se satiaturum.(156) Hoc in prospectu uniuscuiusque Instituti charisma consecratam impellet personam ut Deo tota adhaereat, cum Deo et de Deo loquatur quemadmodum de sancto Dominico est dictum,(157) ut experiatur quam sit in omnibus rerum adiunctis bonus Dominus.(158)

Secum autem etiam inferunt vitae consecratae charismata inclinationem *ad Filium*, quocum suadent ut communio intimae laetaeque vitae excolatur, in schola nempe alacris famulatus Dei et fratrum. « Intuitus magis magisque christificatus discit hoc modo ab exterioribus sese seiungere rebus, a sensuum turbine, ab omnibus nempe iis quae homini impediunt levitatem paratam ut a Spiritu se suscipi sinat »,(159) sicque pariter permittit ut cum Christo procedatur ad munus, cum eo opus agendo doloremque perferendo in ipsius Regno prolatando.

Importat demum omne charisma *ad Spiritum Sanctum* directionem, quatenus consecratos comparat ut ab eo se gubernari sustentarique patiantur tam suo in spiritali itinere quam in communionis vita inque apostolico opere, ut illo cum serviendi affectu vivant a quo omnis veri christiani electio permoveri debet.

Haec enim semper triplex necessitudo, licet cum distinctis variarum vitae formarum proprietatibus, in omni foundationis charismate emergit, eam ipsam ob causam quod dominatur ibi « profundum animi studium sese Christo configurandi ad aliquem Eius mysterii aspectum testificandum »;(160) quae quidem ratio necesse est concorporetur atque enucleetur secundum verissimam Instituti traditionem eiusque ad Regulas, Constitutiones et Statuta.(161)

EFFICIENS FIDELITAS

37. Admonentur ideo Instituta ut magna cum rerum suscipiendarum audacia alacritatem revocent inventionis sanctitatemque fundatorum ac fundatricum ita sane signis temporum respondentem in orbe hodie exorientibus.(162) Haec cohortatio est ante omnia ad perseverandum incitatio in sanctitatis semita per corporis animique difficultates quibus cotidiani notantur eventus. Verum admonitio etiam est ut quis peritiam adsequatur proprio in opere fidelitatemque actuosam exercent erga proprium munus, dum formas ipsas, quotiens oportet, novis accommodat condicionibus ac necessitatibus, plane semper afflatui divino obsequens nec non Ecclesiae iudicio. Utcumque tamen persuasio vigere debet in quaerenda pleniore usque cum Domino conformatione consistere ipsam sponsonem cuiusvis « renovationis » quae consilio pristino fidelis persistere vult.(163)

Secundum eundem hunc affectum omne compellitur hodie Institutum officio *denuo sese revocandi ad Regulam*, quandoquidem in ea atque etiam in Constitutionibus iter concluditur quoddam Christi sequelae, quod proprium charisma ab Ecclesia comprobatum definit. Maior observatio Regulae facere non potest quin consecratis personis

regulam certam praestet qua congruas inquirere possint formas testificationis quae temporis praesentis necessitatibus respondeat neque a pristino afflatu recedat.

PRECATIO ET ASCESIS: SPIRITALE CERTAMEN

38. Recipitur ad sanctitatem vocatio atque percoli potest tantummodo *in adorationis silentio* coram infinita Dei transcendentia: « Fatendum est nos omnes hoc silentio indigere, adorata praesentia imbuto: theologia, ut sapientialis spiritalisque eius anima plene aestimetur; precatio, ne umquam obliviscatur Deum videre idem valere ac de monte descendere vultu ita splendenti, ut eum cogamur obvolvere; (164) officium, ut reiciatur periculum certamine quodam concludi sine amore et venia... Omnibus nempe, credentibus et non credentibus, discendum est silentium, quo Alter sinatur loqui, quando et quomodo volet, nobis vero verbum illud intellegere liceat ».(165) Re autem ipsa permagnam hoc prae se fert fidelitatem liturgicae precatiōni atque privatae, spatiis orationi mentali contemplationique destinatis, recessibus menstruis nec non spiritalibus exercitationibus.

Iterum etiam necesse est *instrumenta ascetica* reperiantur spiritalium Ecclesiae traditionum propria atque singulorum Institutorum. Ad veram in sanctitate progressionem illa quidem efficax semper contulerunt et etiamnum conferunt adiumentum. Utpote quae adiuvet ad moderandas gubernandasque inclinationes ipsius naturae humanae peccato sauciatae, pernecessaria revera est ascesis personis consecratis, ut suae fideles persistent vocationi Iesumque in crucis via subsequantur.

Oportet etiam noscantur atque superentur illecebrae quaedam quae, diabolo insidias tendente, sub alicuius boni specie comparent. Ita, verbi gratia, legitimum illud postulatum ut quis hodiernam societatem cognoscat quo facilius eius provocationibus respondeat, suadere potest ut temporis moribus cedatur, spiritali imminuto ardore vel admissa quasi fracti animi affectione. Elatioris institutionis spiritalis facultas instigare personas consecratas potest ut quadamtenus se reliquis fidelibus superiores esse sentiant, dum ex altera parte necessitas debitaе legitimaeque praeparationis in immoderatam efficaciter operandi voluntatem transire potest, tamquam si maximam partem a consiliis hominum potius quam a Deo apostolicum pendeat ministerium. Laudabilis cupido sese praebendi ut proximum viris mulieribusque temporis nostri, credentibus et non credentibus, pauperibus ac divitibus, permovere aliquem potest ut saeculare vivendi ineat genus vel bona humana ratione dumtaxat terrestri provehat. Postulationum legitimarum aut cultus humani apud proprium populum ambitum participatio incitare pariter potest aliquem ut formas nationalismi amplexetur aut consuetudinum partes complectatur quas contra purgari et ad Evangelii lumen attolli oportet.

Via ergo quae ad sanctitatem perducit postulat ut *certamen spiritale accipiatur*.(166) Grave est officium quod non semper hodie necessaria diligentia respicitur. Saepius dispexit traditio hanc spiritalem contentionem in pugna Iacobi cum Dei mysterio, quam ille ingreditur ut ad benedictionem visionemque suam accedat.(167) Hoc eventu biblicae historiae primordiorum personis consecratis licet colligere signum quoddam ascetici officii quo iis est opus ut cor dilatent suscipiendisque Domino ac fratribus aperiant.

SANCTITAS PROMOVENDA

39. Hodie magis quam alias umquam poscitur renovatum sanctitatis studium ab hominibus consecratis etiam *ut cuiusque christiani ad perfectionem intentio foveatur ac sustineatur*. « Oportet, ergo, concitetur in unoquoque fideli vehemens sanctitatis impetus, flagrans in conversionem et sui ipsius renovationem desiderium dum precatiōnis usque ardentioris sensus acuitur dumque proximus, indigentissimus praesertim, comiter suscipitur ».(168)

Quatenus suam altius cum Deo amicitiam persequuntur consecratae personae, idoneae eatenus efficiuntur ut fratribus sororibusque opitulentur per solida spiritalia incepta, cuius generis scholae orationis sunt, exercitationes ac recessiones spiritalis, dies solitudinis, auditiones et moderationes spiritalis. Hoc pacto hominum progressio in oratione expeditur qui deinde melius Dei voluntatem discernere valebunt de se ipsi ac sese tradere consiliis magnanimis, immo vero nonnumquam heroicis, quae postulat fides. Etenim consecrati homines suae « ex ipsa religiosae vitae natura ... inseruntur in dynamicam actionem Ecclesiae, quae Absolutum quod Deus est sitienter expetit et ad sanctitatem vocatur. Huius sanctitatis ipsi sunt testes ».(169) Quod autem omnes vocantur ut sancti et sanctae fiant, hoc facere non potest quin magis incitet alios quibus, propria ex vitae electione, munus instat ut de eo reliquos commoneant.

« SURGITE ET NOLITE TIMERE »: FIDUCIA RENOVATA

40. « Et accessit Iesus et tetigit eos dixitque eis: "Surgite et nolite timere" ».(170) Perinde ac tres apostoli in Transfigurationis eventu, expertae personae consecratae noverunt non semper suam vitam illo vehementi illuminari fervore qui exclamationem evocet: « Bonum est nos hic esse ».(171) Et tamen semper eorum vita Christi manu tangitur, eius afficitur voce, eius sustinetur gratia.

« Surgite et nolite timere » unicuique christiano haec Domini cohortatio, ut patet, profertur. Potiore autem ratione ei valet qui ut « relinquat omnia » vocatur, ideoque ut pro Christo « omnia periclitetur ». Hoc praesertim accidit quotiens cum Magistro « de monte » quis descendit ut viam a Thabor in Calvariam ducentem ingrediatur. Cum dicit Lucas Moysen et Eliam cum Christo de paschali ipsius mysterio loqui, consulto et magna cum significatione vocabulum inducit « perfectionis » [« exodus »]: « dicebant exodum eius quem completurus erat in Ierusalem ».(172) « Exodus »: praecipua revelationis vox ad quam tota revocatur salutis historia quaeque altam paschalis mysterii exprimit vim. Carissimum est hoc auctoribus spiritalibus argumentum de vita consecrata

cuius sensum probe exprimit. Inibi necessario omnia includuntur quae *ad mysterium Crucis* attinent. Verumtamen arduum hoc « exodi iter », ex prospectu montis Thabor perceptum, tamquam via exstat duabus interiecta lucibus: altera enim lux praenuntiat Transfigurationem, Resurrectionem terminat altera.

Ad vitam consecratam vocatio - intra definientem totius vitae christianae orbem - quamvis abnegationes prae se ferat et probationes immo vero cum eas secum importet, est « *lucis* » iter cui Redemptoris invigilant oculi: « *Surgite et nolite timere* ».

CAPUT II

Signum fraternitatis

Vita consecrata communionis signum in Ecclesia

I

Bona mansura

AD TRINITATIS IMAGINEM

41. Terrestri in vita sua quos voluit vocavit Dominus Iesus, ut prope se eos retineret eosdemque ad suae vitae exemplum institueret pro Patre ac pro ab Eo recepta missione.(173) Novam sic ipse incohavit familiam, in quam saeculorum decursu ingressuri erant quotquot parati erant ad « Dei voluntatem faciendam ».(174) Post Domini Ascensionem, Spiritus impulsu donati, circa Apostolos in Dei laude et vero humano communionis usu effecta est communitas fraterna.(175) Huius communitatis vita, ac magis artae consuetudinis exercitatio quam Duodecim cum Christo sunt experti, usque fuerunt *exemplar quod Ecclesia est imitata*, cum originum fervorem repetere voluit atque renovato evangelico vigore suum in historia iter redintegrare.(176)

Reapse, *suapte natura est Ecclesia mysterium communionis*, « unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs coadunata ».(177) Vita fraterna huius mysterii altitudinem et divitias referre vult, veluti humanum spatium se praebens quod Trinitas occupat, quae hoc modo in historia dona communionis propria trium divinarum Personarum producit. In ecclesiali vita multiplices sunt provinciae et rationes, in quibus communio fraterna enuntiatur. Id vitae consecratae merito adscribitur, quod efficaciter operam dedit ut fraternitatis postulatam in Ecclesia animaretur, tamquam Trinitatis confessio. Usque fraternam dilectionem promovendo in vitae communis quoque forma, ipsa significavit *communionis trinitariae participationem humanas necessitudines immutare posse*, novum solidaritatis concitando genus. Hoc modo eadem hominibus simul pulchritudinem communionis fraternae ostendit, simul semitas quae re ad illam perducunt. Consecratae namque personae « pro » Deo ac « de » Deo vivunt, eaque de causa virtutem reconciliantis gratiae confiteri possunt, quae motus contrarios dividentesque prosternit qui in hominum corde insident atque in socialibus necessitudinibus.

FRATERNA IN DILECTIONE VITA

42. Vita fraterna, quae veluti vita in amore participata habetur, signum est manifestum communionis ecclesialis. Ea ab Institutis religiosis et Societatibus vitae apostolicae peculiari studio colitur, ubi vita in communitate singularem significationem adipiscitur.(178) At communionis fraternae ratio nec a Saecularibus Institutis nec a formis singularibus vitae consecratae seiungitur. Eremitae, sua in vasta solitudine, non modo sese ab ecclesiali communitate non subducunt, sed peculiari suo contemplationis charismate ei serviunt; virgines in saeculo consecratae suam expleant consecrationem peculiari quadam communionis ratione cum Ecclesia particulari et universali; similiter viduae et vidui consecrati.

Cunctae personae hae, discipulorum condicionem viventes, adimplere student Domini « novum mandatum » invicem diligentes, sicut ille nos dilexit.(179) Amor Christum compulit ad sui ipsius donationem usque ad summum crucis sacrificium. Inter discipulos quoque *nulla datur vera unitas citra hunc sine condicione mutuuum amorem*, qui voluntatis alacritatem poscit serviendi profusis viribus, promptitudinem ad alium recipiendum sicuti est, nullo inducto iudicio,(180) potestatem alii etiam « septuagies septies »(181) ignoscendi. Personae consecratae « cor et anima una » factae(182) amore eiusmodi in cordibus per Spiritum Sanctum diffuso(183) interiore quadam necessitate compelluntur ut *omnia habeant communia*: bona scilicet materialia et experimenta spiritalia, talenta et consilia aequae ac apostolica proposita et caritatis opera: « In vitae communitate Spiritus Sancti vis et efficacia uni tributa simul ad omnes transeat necesse est... Et suo quisque dono fruatur ipsumque multiplicat communicando, ut ex alienis tamquam ex suis fructum capiat ».(184)

In vita proinde communi percipi quodammodo debet communionem fraternam, prius quam certae missionis instrumentum, *theologale esse spatium* in quo experiri quis potest Dominum resuscitatum mystice adesse(185).(186) Hoc quidem fit per mutuuum illorum quotquot communitatis sunt participes amorem qui Verbo et sacra Eucharistia alitur, Reconciliationis Sacramento purificatur, sustentatur unitatis imploratione, quae est peculiare Spiritus donum iis qui ad Evangelium obsequenter auscultandum se comparant. Spiritus ipse animam inducit ad consortionem experiendam cum Patre eiusque Filio Iesu Christo,(187) ex qua communitate vitae fraternae fons exoritur. A Spiritu communitates vitae consecratae diriguntur ad officium suum inserviendi Ecclesiae cunctisque hominibus pro suo quaeque nativo ingenio.

Hac in re magni momenti obtinent locum « Capitula » sive consimiles congressus, tam particulares quam generales, ubi debet quodque Institutum Superiores aut Antistitas deligere secundum regulas propriis Constitutionibus firmatas atque etiam, praelucente Spiritus fulgore, modos statuere unde custodiantur

efficaciaque reddantur diversis in historiae ac culturae adiunctis charisma proprium et proprium spiritale patrimonium.(188)

AUCTORITATIS OFFICIUM

43. In vita consecrate *Praepositorum et Praepositarum munus*, localium quoque, semper habuit pondus, cum ad spiritalem vitam tum ad missionem magnum. His inquisitionum et mutationum annis nonnumquam necessitas est percepta hoc officium renovandi. At agnoscendum est eos qui auctoritatem habent primarum communitatis sustinendarum partium, *non posse sese abdicare suo munere* quippe qui fratrum ac sororum in spiritali atque apostolico itinere sint duces.

In condicionibus illis, ubi sibi quisque uni consulit, difficulter fit ut officium illud agnoscat et recipiatur quod pro cunctis sustinere debet auctoritas. Oportet tamen ut huius muneris momentum confirmetur, quod omnino est necessarium ut fraterna solidetur communitas neve promissa oboedientia irrita evadat. Si auctoritas oportet ante omnia sit fraterna et spiritalis et si, qui ea pollet, hac de causa per dialogum fratres et sorores complecti debet dum de rebus agendis decernitur, memorare tamen iuvat *spectare ad auctoritatem novissimum verbum*, eique exinde facultatem esse tribuendam, ut consilia capta curet observentur.(189)

PARTES SENUM

44. Senum aegrotorumque cura in vita fraterna praecipuum obtinet locum, hoc potissimum tempore, quo in nonnullis regionibus numerus aegrotorum personarum ingravescentis aetatis. Non est modo caritatis ipsius proprium et grati animi iis tribuere sollicitam curam quam merentur, verum et documentum conscientiae eorum testificationem multum Ecclesiam eorumque Instituta adiuvare eorumque opera valida ac meritoria perstare, etiam cum propter aetatem et valetudinem deserere debuerunt suae navitatis provinciam. *Multum ii certe tribuere possunt* sapientia sua ac experientia communitati, si haec attenta et ad audiendum inclinata iis adsidet.

Re quidem vera apostolica opera prius quam ex actione ex testimonio pendet propriae plenae deditiois salvificae Domini voluntati, devotionis videlicet quae precationis et paenitentiae fontibus alitur. Quapropter complures dantur rationes quibus senes ut suam vocationem adimpleant commendentur: oratio assidua, uniuscuiusque condiciones patienter toleratae, praeparatio ad officium sustinendum patris spiritus, confessarii, ductoris precationis.(190)

AD COMMUNITATIS APOSTOLICAE IMAGINEM

45. Primas agit partes vita fraterna in personarum consecratarum spiritali itinere, tum ut assidue eae renoventur tum ut consummate suam in mundo missionem adimpleant: id quidem ex theologicis rationibus eruitur quae subsunt, idque plane confirmat experientia ipsa. Consecratos consecratasque cohortamur igitur, ut eandem studiose colant, ad priscorum Hierosolymitanorum christianorum exemplum, qui perseverabant in doctrina Apostolorum, in communi precatione, in Eucharistia suscipienda, in bonorum naturae et gratiae participatione.(191) Religiosos viros et religiosas mulieres nec non Societatum vitae apostolicae sodales magnopere cohortamur ut mutuam amorem sine conditione experiantur, cumque secundum cuiusque Instituti naturam expriment, ut omnes communitates tamquam conspicuum habeantur signum novae Ierusalem, quae est « tabernaculum Dei cum hominibus ».(192)

Ecclesia namque universa multum confidit testificationibus communitatum « gaudio et Spiritu Sancto » (193) repletarum. Cupit ipsa terrarum orbi communitatum exempla exhibere, in quibus mutua observantia adiumentum fert ad solitudinem depellendam, communicatio omnes ad officii conscientiam concitat, venia vulnera sanat, in singulis communionis propositum roborando. In talibus communitatibus charismatis natura vires ordinat, fidelitatem sustentat et omnium apostolicum opus ad unam dirigit causam. Ut hodiernae humanitati veram suam effigiem ostendat, eiusmodi prorsus Ecclesia communitatum fraternarum indiget, quae, prout sunt, emolumento evadunt novae evangelizationi, quandoquidem « novi mandati » fructus modo finito reddunt.

SENTIENDUM CUM ECCLESIA

46. Magnum quidem munus ipsi vitae consecratae demandatur etiam sub lumine doctrinae *Ecclesiae-communicationis*, quam impense Concilium Vaticanum II proposuit. Personae consecratae ut revera communionem experiantur spiritalitatemque exercent(194) impense rogantur, tamquam « testes et illius "communionis propositi" artifices quod in fastigio locatur historiae hominis secundum Deum ».(195) Ecclesiologiae communionis sensus, dum explicatur in *communionis spiritalitatem*, cogitandi, loquendi et agendi rationem promovet quae efficit ut Ecclesia altius latiusque adolescat. Etenim evenit « ut communionis ecclesialis vita *signum* mundo evadat et *vis* trahens, quae homines ducat ad credendum in Christum... Sic communitas, dum se *missioni* aperit, ipsa fit *missio* », immo « cum *communio communionem generet*, ex sua ipsius natura *communio missionariam* gignit ».(196)

In conditoribus conditricibusque *vividus usque Ecclesiae sensus conspicitur*, qui in eorum ecclesiali vita omnibus rationibus participanda et in sollicita Pastorum oboedientia manifestatur, nominatim Romano Pontifici. Hoc in amoris prospectu erga Sanctam Ecclesiam, quae est « columna et firmamentum veritatis ».(197) optime intelleguntur Francisci Assisiensis in « Dominum Papam » devotio,(198) Catharinae Senensis filialis sollertia in eum quem ipsa « dulcem Christum in terra » vocat,(199) Ignatii Loyolensis apostolica obtemperantia eiusque « sentire cum Ecclesia »,(200) fidei festiva professio Teresiae a Iesu: « Ecclesiae sum filia ».(201) Teresiae

Lexoviensis quoque studium percipitur: « In Ecclesiae corde, matris meae, amor equidem ero... ».(202) Hae testimonium ecclesiam perfectam communionem plane patefaciunt, quam sancti et sanctae, conditores et conditrices, aetatibus condicionibusque occurrentibus inter se diversis ac saepe difficillimis, sunt experti. Ad exempla haec continenter se referre debent consecratae personae, ut distrahentes et disicientes motus arceant, qui hodiernis temporibus multum possunt.

Huius communionis ecclesialis significantior pars est mentis cordisque adhaesio Episcoporum magisterio, quae fideliter cunctis personis consecratis est tenenda atque coram Dei populo perspicue testificanda iis cumprimis qui in theologica inquisitione tradendaque doctrina, scriptis edendis, in catechesi atque instrumentis communicationis socialis adhibendis versantur.(203) Cum praecipuum locum obtineant in Ecclesia personae consecratae, earum mens animusque magnum pro Dei populo pondus habent. Eorum apostolica opera efficacitatem depromit vimque ex eorum filialis amoris testimonio quae, in ambitu missionis prophetae omnium baptizatorum, per officia plerumque notatur peculiaris cum hierarchia cooperationis.(204) Hoc modo suorum charismatum divitiis praecipuum operam ferunt, ut Ecclesia usque altius suam indolem compleat sacramenti « intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».(205)

ECCLESIAE UNIVERSALIS FRATERNITAS

47. Personae consecratae nimirum rogantur ut communionis missionalis universa in Ecclesia sint fermentum propterea quod multiplicia singulorum Institutum charismata ad bonum totius mystici Corporis a Spiritu Sancto donantur, cui aedificando ipsi inservire debent.(206) Insigniter « excellentiorem viam »(207) caritatem dicit Apostolus, quae « maior ex his »(208) exstat, quaeque omnes diversitates componit cunctisque in apostolico studio mutui subsidii tribuit virtutem. Ad hoc quidem intendit *peculiare communionis vinculum*, quod variae formae vitae consecratae et Societates vitae apostolicae *possident cum ministerio unitatis et universalitatis missionalis quod ad Petri Successorem pertinet*. Spiritualitatis historia hoc conspicue ostendit vinculum dum eius providum opus significat, ut praestetur tum vitae consecratae vera proprietas, tum missionalis Evangelii propagatio. Evangelicae enuntiationis animosa diffusio atque Ecclesiae in tot terrarum locis firma confirmatio itemque christianarum rerum novellis in Ecclesiis validus proventus, intellegi haudquaquam possunt - quemadmodum synodales ipsi Patres dixerunt - sine tot Institutum vitae consecratae et Societatum vitae apostolicae collata opera. Communionem ipsi saeculorum decursu firmam cum Petri Successoribus servarunt, qui in iis impigram alacritatem reppererunt, cum se prompte ad missionale munus dederent, quod, pro occasione, usque ad heroicum gradum pervenit.

Sic *universalitatis indoles et communionis* proditur, quae propria est Institutum vitae consecratae et Societatum vitae apostolicae. Quandoquidem supra dioeceses sunt ipsa, ob eorum peculiarem cum ministerio Petrino necessitudinem, inserviunt eadem quoque cooperationi inter diversas particulares Ecclesias,(209) inter quas efficaciter « donorum permutationem » provehere possunt, operam suam ad Evangelii inculturationem conferendo, ut omnium populorum culturae mundentur, aestimentur et suscipiantur eorum cum divitiis.(210) Hodie etiam quia in novellis Ecclesiis florent vocationes ad vitam consecratam, planum fit quomodo ea in catholica unitate exprimere valeat diversorum populorum culturalumque postulata.

VITA CONSECRATA ET ECCLESIA PARTICULARIS

48. *Intra quoque Ecclesias particulares* partes significantes agunt personae consecratae. Haec est ratio quae, initium ducens a conciliari doctrina de Ecclesia prout illa est communio et mysterium, atque a doctrina de Ecclesiis particularibus quae sunt Dei Populi particularae in quibus « vere inest et operatur Una Sancta Catholica et Apostolica Christi Ecclesia », (211) penitus excussa est et in subsequentibus documentis recepta. Horum ex consideratione rerum scriptarum clarissime patet sociatam personarum consecratarum cum Episcopis operam plurimum conferre ad ordinatum dioecesanam pastoralis rei progressum adipiscendum. Multam quidem operam dant consecratae vitae charismata caritati aedificandae in Ecclesia particulari.

Variae enim species, ad quas evangelica recipiuntur consilia, declarationes sunt atque e spiritualibus donis manant, quae conditores et conditrices receperunt, atque ut tales exstant aliqua « *Spiritus experientia*, propriis discipulis tradita, ut secundum eam vivant, eam custodiant altioreque reddant et constanter augeant simul cum Christi Corpore iugiter crescente ». (212) Germana singulorum Institutum proprietates singulare sanctificationis et apostolatus genus secum fert, quod certis translaticis condicionibus gradatim firmatur, quas obiectiva elementa designant.(213) Hanc ob causam Ecclesia curat ut Instituta adolescant et incrementum capiant ad Conditum atque Conditricum mentem adque eorundem rectas traditiones.(214)

Quocirca *iusta autonomia* singulis Institutis conceditur, per quam sua disciplina uti possunt et integrum servare suum spiritale atque apostolicum patrimonium. Est loci Ordinarium hanc autonomiam custodire ac tueri.(215) Recipere ideo et aestimare vitae consecratae charismata debent Episcopi, in pastoralis actionis dioecesanam propositis dantes iisdem locum. Singularem curam ad iuris dioecesanam Instituta conferre debent, quae Ordinarii loci peculiari sollicitudini committuntur. Dioecesis quae vita consecrata careat, praeterquam quod tot spiritualibus donis oritur, aptis locis Deo perquirendo, peculiaribus apostolicis laboribus et pastoralibus viis, etiam periculum adit ne graviter mens illa missionalis extenuetur, qua maior Institutum pars ditatur.(216) Quapropter vitae consecratae dono respondere necesse est, quod Spiritus Sanctus in Ecclesia particulari concitat, quodque cum gratiarum actione est accipiendum.

FERTILIS ET APTE COMPOSITA ECCLESIALIS COMMUNIO

49. Episcopus pater est et pastor totius particularis Ecclesiae. Eiusdem est singula charismata agnoscere et tueri ipsaque promovere atque ordine disponere. Sua igitur pastoralis caritate vitae consecratae charisma recipiet tamquam gratiam quae non respicit tantum Institutum aliquod, sed in totam Ecclesiam perfunditur. Sustentare iuvareque ita studebit personas consecratas ut, in communione cum Ecclesia, ad spiritalia pastoraliaque proposita pateant postulatis nostrae aetatis consentanea, fidelitatem erga fundatoris consilia servantem. Personae vitae consecratae, vicissim, liberaliter sociatam suam operam in Ecclesiam particularem suis pro cuiusque viribus conferent, proprio servato charismate, *dum Episcopo arte adhaerentes operantur* in provincia evangelizationis, catechesis, atque paroecialis vitae.

Reminiscendum est Instituta Ecclesiae universalis famulatum conciliando cum Ecclesiae particularis munere congruam autonomiam ipsamque exemptionem, quibus complura ex iis fruuntur,(217) sibi vindicare non posse ut quaedam electiones iustificentur quae revera dissident ab ordinatae communionis necessitatibus quas recta vita ecclesialis requirit. Oportet contra ut pastoralia personarum religiosarum incepta benevolo et aperto instituto dialogo inter Episcopos et variorum Institutorum Praepositos decernantur et compleantur. Perattenta Episcoporum consideratio in Institutorum vocationem et munus atque ipsa vicissim Institutorum observantia in Episcoporum ministerium, una cum prompta acceptione pastoralium pro vita dioecesana eorum inceptorum, duas formas prae se ferunt illius ecclesialis unius caritatis quae cunctos ad bene constitutae communioni inserviendum compellit - charismatae atque simul secundum cuiusque officia compositae - universi Dei populi.

PERPETUUS DIALOGUS QUI CARITATE ANIMATUR

50. Ad mutuam cognitionem promovendam, quae quidem omnino necessaria est ut actiosa adsit in pastoralis ambitu cooperatio, peropportuna est *continuatus dialogus* Praepositorum Praepositarumque Institutorum vitae consecratae Societatumque vitae apostolicae cum Episcopis. Hos per usitatos conventus Praepositi ac Praepositae Episcopos certiores facient de apostolicis inceptis quae in eorum dioecesibus sunt suscepturi, ut in rebus agendis necessaria statuatur conspiratio. Eadem ratione decet Praepositorum Praepositarumque delegatos invitari ut Congressionibus Conferentiae Episcoporum intersint itemque vicissim Conferentiae Episcoporum sint Congregationum Superiorum Conferentiae maiorum delegati participes, secundum definiendos modos. Hoc rerum in prospectu magnum poterit afferre emolumentum constitutio, ubi nondum exstent, earundemque operatio patria quidem ratione, *commissionum mixtarum Episcoporum Superiorumque maiorum*,(218) quae una simul negotia perpendant communia. Pleniorem mutuam cognitionem iuvabunt theologia vitaeque consecratae spiritalitas quae in rationem studiorum theologiae presbyterorum dioecesanorum inseruntur, simulque in personis ipsis consecratis educandis theologia congruenter tractata de Ecclesia particulari deque spiritalitate dioecesanis cleri.(219)

Solacio tandem afficimur cum memoramus in Synodo non modo innumeras exstitisse de communionis doctrina elocutiones, verum etiam magnam fuisse dialogorum delectationem, qui mutuo sinceroque animi sensu inter Episcopos, religiosos religiosasque praesentes sunt producti. Id effecit ut vellent « experientiam spiritualem communionis et collaborationis ulterius protrahi in Ecclesia universa » etiam post Synodum(220) celebratam. Idem Nos facimus votum, ut in omnibus mens et communionis spiritalitas adolescant.

IN MUNDO DIVISO ET INIQUO FRATERNITAS

51. Vitae consecratae communitatibus peculiare officium concredit Ecclesia ut *communio spiritalitatem augeant*, primum intra se, deinde in ipsa ecclesiali communitate et ultra eius fines, caritatis dialogum usque instituendo vel restituendo, ibi potissimum ubi hodiernus mundus stirpium odio furoribusque mortiferis conflictatur. Diversis in nostri terrarum orbis societatibus - quae saepe cupiditatibus disparibusque studiis tenentur, ad unitatem quidem tendentes, dubitantes tamen de via ingredienda - collocatae consecratae vitae communitates in eas sicut fratres sororesque dissimiles aetate lingua cultuque personae conveniunt, tamquam signum illae se praebent dialogi, qui semper institui potest, nec non communionis quae diversitates aequare valet.

Vitae consecratae communitates per suae vitae testificationem ad fraternitatis christianae dignitatem nuntiandas mittuntur nec non renovantem Boni Nuntii(221) virtutem, qui efficit ut omnes sicut filii Dei agnoscantur atque ad dilectionem in omnes pronam potissimumque in humillimos impellit. Communitates hae loci exstant spei et detectionis Beatitudinum, loci sunt in quibus amor, ex precatione vim hauriens, communionis videlicet a fonte, rogatur ut vitae ratio fiat et laetitiae fons.

Internationalia in primis Instituta, quae nostra aetate quaestionibus illis signatur totum mundum complectentibus ac simul restitutis nationalismi simulacris, animare et testificare debent communionis sensum inter gentes, stirpes et culturas. Dum fraternitatis mens viget, quaestiones ad totum mundum porrectae minime particulares divitias inhibebunt, nec peculiaris cuiusdam dati obstatio ceteris vel unitati officiet. Instituta Internationalia id efficaciter complere possunt, quippe quae ingeniose inculturationis provocationem sustinere debeant eodemque tempore peculiarem suam servare naturam.

INTER DIVERSA INSTITUTA COMMUNIO

52. Fraternali necessitudinem spiritualem ac inter varia Instituta vitae consecratae et Societates vitae apostolicae mutuam cooperationem sensus quidam ecclesialis communionis sustentat alitque. Personae enim quae communi

Christi sequelae officio iunguntur atque ab eodem animantur Spiritu, facere non possunt quin, veluti unius vitis palmites, Evangelii amoris plenitudinem visibiliter ostendant. Spiritualis memores amicitiae, quam in terra saepenumero contraxerunt complures conditores et conditrices, ipsae, quamvis erga suum charisma fideles maneant, ad significandam inducuntur illustrem fraternitatem, quae in cotidiano testificationis officio pro Evangelio incitamento sit ceteris ecclesialibus partibus.

Sancti Bernardi de religiosis diversis Ordinibus verba ad nostra usque tempora sunt accommodata: « Laudo omnes... Unum opere teneo, caeteros charitate ». Omnes vicissim aliis indigemus : « Faciet autem charitas ut ne illorum quidem fructu frauder, quorum instituta non sequor... Et quid mirum, si in hoc exilio, peregrinante adhuc Ecclesia, quaedam huiusmodi sit pluralis, ut ita dixerim, unitas, unaque pluralitas... Sicut itaque illic multae mansiones in una domo, ita hic multi ordines sunt in Ecclesia una: et quomodo hic divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, ita ibi distinctiones quidem gloriarum, sed una domus. Porro unitas tam hic quam ibi, consistit in una charitate ».(222)

INSTITUTIONES REBUS COMPONENTIS

53. Multum ad Ecclesiae communionem conferre possunt Conferentiae Superiorum maiorum atque Conferentiae Institutum saecularium. A Concilio Vaticano II(223) confirmatae atque compositae abque subsequentibus documentis,(224) hae institutiones praesertim vitam consecratam in ipsa ecclesialis operae compage provehendam sibi praestituunt.

Earum beneficio Instituta communionem inter se exprimunt adque eam roborandam instrumenta perquirunt, servatis recteque aestimatis diversorum charismatum proprietatibus, in quibus mysterium Ecclesiae ac multiformis Dei sapientia referuntur.(225) Vitae consecratae Instituta cohortamur ut in opera complenda consociantur, in nationibus in primis ubi peculiare propter difficultates magna sunt invitamenta ut velint sese concludere in se, ipsius vitae consecratae Ecclesiaeque cum detrimento. Oportet contra in Dei consilio exquirendo inter se iuvent arduo hoc nostro historiae intervallo, quo melius eidem congruentibus apostolicis inceptis respondeant.(226) Hoc in communionis prospectu ad nostri temporis provocationes aperto, Praepositi ac Praepositae, « una cum Episcopis operantes », contendant « ut optimorum cuiusque Instituti cooperantium opera utantur atque officia praestent non modo ut quidam fines, si forte sint, superentur, verum etiam ut quaedam solida ineatur ratio de vitae consecratae apta institutione ».(227)

Superiorum maiorum Conferentias adhortamur Saeculariumque Institutum ut sit cum Congregatione pro Institutis vitae consecratae cumque Societatibus vitae apostolicae constans communisque consuetudo, velut earum cum Apostolica Sede significata communio. Actuosa quoque et fiducia plena habenda est cum Episcoporum Conferentiis cuiusque nationis necessitudo. Ad « Mutuae Relationes » documentum, opportunum est hunc usum esse stabilem, ut simul ac progrediente tempore apparent incepta, ea constanter et tempestive ordinari possint. Si quidem haec omnia perseveranter perficiuntur, Magisterii mente praescriptisque fideliter servatis, compositionis et communionis institutiones utiles fient ut, pravae interpretationes discidiaque sive ratione sive re expediantur;(228) hoc modo communionis incrementum inter Instituta vitae consecratae et Episcopos non solum illae fulcient, sed obsecundabunt etiam missionis progressum ipsarum Ecclesiarum particularium.

CUM LAICIS COMMUNIO ET COOPERATIO

54. Inter fructus his annis tributos doctrinae Ecclesiae prout est communio id adscribitur, quod variae eius partes consciae factae sunt se vires iungere posse et debere, ut societate vires, mutua in cooperatione atque donorum permutatione ad Ecclesiae missionem efficacius participandam. Id efficit ut distinctior definitiorque ipsius Ecclesiae sit effigies, praeterquam quod magnis nostrae aetatis provocationibus efficacius respondetur, per diversorum donorum participatam collationem.

Necessitudines cum laicis apud monastica contemplativaque Instituta spiritalem magna ex parte habent speciem, dum contra Instituta in apostolatu versantia pastoralis cooperationis inducunt rationes. Institutum autem saecularium sodales, sive laici sive clerici, vitae cotidianae ordinarias per formas cum ceteris fidelibus admiscuntur. Hodie non pauca Instituta, exstantibus saepe novis condicionibus, pro explorato habent *suum charisma cum laicis participari posse*; qui idcirco vehementius invitantur ad spiritualitatem adque ipsius Instituti missionem communicandam. Dicitur potest, experientia historica praegrediente sicut diversorum saecularium Ordinum vel Tertii Ordinis, novam aetatem in historia respiciente laicorum personarumque consecrarum necessitudinem, inchoatam esse, spe nimirum locupletem.

AD SPIRITALEM APOSTOLICAMQUE ALACRITATEM RENOVANDAM

55. Novae hae communionis cooperationisque rationes varias ob causas sustinendae sunt. Ex iis enim ante omnia contingere poterit ut navae spiritualitatis fulgor deducatur qui ipsius Instituti fines transgrediatur, cui deinceps potestas dabitur usque praestandi Ecclesiae quasdam peculiare servitii formas. Sequitur feliciter exinde ut collatis viribus inter personas consecratas et laicos, missione spectata, vehementius opus sustineatur: personarum consecrarum sanctitatis exemplis permoti, laici recta ducentur ad consiliorum evangelicorum sensum experiendum, qui animum addent ut Beatitudinum vim vivant et testificentur ad mundum transformandum secundum Dei cor.(229)

Laicorum participatio non raro facit ut quaedam de illo charismate altius expendantur atque nonnulla inopinata et fecunda detegantur, dum magis spiritalis fit ipsius interpretatio dumque nova indicia renovati apostolici impetus reperiuntur et inculcantur. In quolibet opere munere versantes, personae consecratae ideo memoria tenebunt se esse debere peritas vitae spiritalis ductrices, atque hoc porro in rerum prospectu « maximi pretii talentum, spiritum scilicet », (230) colent. Laici vicissim religiosis familiis suam saecularitatem peculiareque ministerium veluti proprium subsidium ministrent.

LAICI VOLUNTARII ET CONSOCIATI

56. Insignis quaedam laicalis participationis divitiarum vitae consecratae facies in eo stat quod fideles laici variis Institutis adhaerent nova forma videlicet illa sodalium consociatorum, ut aiunt, vel, secundum hodierna postulata quorundam morum culturalium, personarum illarum quae communicant, ad certum quoddam temporis spatium, vitam communitariam et peculiarem deditionem contemplativam apostolicamve Instituti operam, dummodo, ut liquet, vitae interioris eius intrinseca peculiaritas nihil patiatur detrimenti. (231)

Iure meritoque hoc voluntarium opus valde aestimatur, quod ex vitae consecratae divitiis oritur; at instituantur illi oportet, ut voluntarii praeter peritiam altas semper supernaturales in suis propositis rationes colant acrioremque communitatis Ecclesiaeque sensum suis in consiliis. (232) Illud quoque est ob oculos habendum, incepta scilicet quibus decernendis et laici implicantur, ut ipsa certo cuidam Instituto adscribantur ipsius persequi debere proposita eademque ipsius sub auctoritate esse complenda. Itaque si laici his rebus praesidebunt, rationem hic de moderatione legitimis Superioribus reddent. Convenit quidem ut haec omnia opportunis singulorum Institutorum normis a maiore auctoritate decernantur, prius comprobatis quae ordine definiant Instituti, communitatis, consociatorum sodalium vel voluntariorum officia.

Personae consecratae, quae a Superioribus mittuntur, quaeque ceteroquin sub eorum auctoritate erunt, *peculiaribus cooperationis generibus laicorum inceptis* interesse possunt, in iis praesertim sodaliciis atque institutionibus, quae infimos homines iuvare humanasque aerumnas lenire conantur. Sociata haec opera, si conspicua acrius christiana mente et charismatica animatur et sustentatur atque erga indolem vitae consecratae propriam reverens est, tenebrosioribus humanae existentiae condicionibus Evangelii vim fulgentem afferre potest.

His proximis annis, non paucae personae consecratae illorum cuidam *ecclesialium motuum* nomen dederunt, qui nostra aetate succreverunt. Hic mos emolumento iis plerumque est, spiritali praesertim considerata renovatione. Negari tamen non potest, quibusdam in rerum adiunctis, incommoda perturbationesque et singulis et communitatibus inde oriri, tum potissimum cum experientiae hae cum necessitatibus vitae communis et Instituti spiritalitatis contendunt. Curandum igitur erit ut ecclesiales motus suscipiantur charismatica servata proprietate et cuiusque Instituti disciplina, (233) Superiorum de licentia atque subsidiaria data condicione excipiendi eorum decreta.

MULIERIS CONSECRATAE PRAESTANTIA ET PARS

57. Multifformes suas spiritalis divitias plane ostendit Ecclesia cum, discriminibus remotis, veluti benedictionem ea dona accipit quae a Deo simul in viros simul in feminas derivantur, eorum dignitatem parem omnium aestimans. Mulieres consecratae peculiari modo invitantur ut suam per deditionem plene laetanterque actam *signum sint benignitatis Dei erga homines* atque peculiare testimonium mysterii Ecclesiae, virginis sponsae et matris. (234) Hoc earum munus in Synodo emersit, cui complures feminae interfuerunt suas enuntiantes sententias quas omnes audiverunt et exsistimarunt. Earum quippe merito quaedam utilia prodierunt ad Ecclesiae vitam eiusque evangelizatricem operam. Certe fieri non potest quin nonnulla iuste vindicentur, quae in diversis socialibus condicionibus ipsaque in Ecclesia ad mulieris statum pertinent. Dici pariter oportet novam feminarum conscientiam viros quoque iuvare ut mentem demutent, rationem sui intellegendi, sese collocandi in historia eandemque interpretandi, modum suum socialem politicam oeconomicam religiosam ecclesiale vitam componendi.

Quandoquidem Ecclesia a Christo accepit liberationis nuntium, munus recepit eundem prophetice diffundendi, animos moresque ad Domini mentem dirigendo. Hoc in prospectu, mulier consecrata, initium capiens ex sua experientia Ecclesiae ac mulieris pariter in Ecclesia, operam suam conferre potest ut quaedam manca curtaque iudicia tollantur, quibus haud liquido ipsius dignitas nec non eius collatum opus in vitam et pastoralementem missionariamque actionem Ecclesiae manifestantur et agnoscuntur. Idcirco consentaneum est ut mulier consecrata suam qualitatem, suas facultates, suam operam, sponsonem suam sive in ecclesiali conscientia sive in cotidiana vita agnosci velit.

Futura quoque evangelizationis aetas, aequae ac cuncta missionalis operis genera, intellegi nequeunt dempto mulierum, in primis mulierum consecratarum, adiumento.

PRAESENTIAE ET ACTIONIS NOVAE EXSPECTATIONES

58. Quapropter urget ut quaedam res solidae suscipiantur, recludendo ante omnia *participationis opportunitates* mulieribus variis in provinciis omnibusque gradibus, etiam cum quid deliberatur et decernitur, in iis rebus praesertim quae ad eas respiciunt.

Oportet quoque mulierum consecratarum institutio, haud minus quam virorum, novis necessitatibus accommodetur atque congruum tempus et certas institutionis opportunitates praebeat ad ordinatum cultum, qui

omnes species a theologico-pastorali ad professionalem complectatur. Pastoralis et catechetica institutio, quae est semper magni momenti, secum fert peculiarem pro nova evangelizatione significationem, quae novas participationis formas a mulieribus exposcit.

Pro certo habendum est institutionalem pervestigationem, dum mulierem consecratam ad sui ipsius dona intellegenda adducit, necessariam officiorum mutationem intra Ecclesiam concitet. In rebus quoque theologiacis, culturalibus et spiritalibus pervestigandis multa efficere potest femineum ingenium non modo in iis quae proprietatem vitae consecratae mulierum respiciunt, verum et fidei intellectum in quavis eius specie. Hac in re plurimum spiritalitatis annales illis debent Sanctus, veluti Teresiae a Iesu atque Catharinae Senensi, primis scilicet mulieribus decoratis nomine Doctoris Ecclesiae, et compluribus similiter aliis mysticis, quod ad Dei mysterii inquisitionem pertinet atque ad explicationem eius actionis in credentem! Multam sane spem in mulieribus consecratis collocat Ecclesia, ut peculiare quiddam conferatur ad doctrinam promovendam, mores, vitam ipsam familiarerem socialemque, mulieris dignitate et vitae humanae observantia praesertim consideratis.(235) Etenim « *mulieribus tribuitur* prorsus singulare fortasse et decretorium cogitationis et actionis spatium: ipsarum enim est promovere "novum feminisum" qui agnoscere valeat et proferre veram indolem femininam in quolibet convictus civilis gestu, quin in temptationem incurratur imitandi exemplaria "cultus nimii virilitatis", dum opera datur, ut omnino quodvis genus amoveatur discriminationis violentiae et abusus ».(236) Sperare quidem licet ex altiore mulieris missionis agnitione mulierum vitam consecratam acriorem usque perceptionem muneris sui suscepturam esse studiosioremque deditionem Dei causae. Id nempe in complura opera converti potest, videlicet in evangelizationis munus, in institutionalem navitatem, in futurorum presbyterorum personarumque consecratarum institutionem participandam, in communitatis christianae animationem, in spiritalium comitatum inque praecipua vitae pacisque bona provehenda. Consecratis feminis earumque sese dedendi eximiae facultati iterum admirationem gratumque totius Ecclesiae animum patefacimus, quae easdem sustinet ut plene laetanterque suas vocationes agant atque vocari se sentiant ad nostrae aetatis mulierem iuvandam et instituendam.

II

Perseverans Spiritus Sancti opera: in novitate fidelitas

CLAUSURAE MONIALES

59. Peculiari sane diligentia monastica vita mulierum et clausura monialium sunt considerandae optimam propter aestimationem quam huic vitae generi tribuit communitas christiana, quod signum est unice coniunctionis Ecclesiae-Sponsae cum Domino admodum dilecto. Vita namque monialium clausurae, quae praecipue oratione, ascensi fervidoque vitae spiritalis progressu explicatur, « nihil aliud est quam iter ad caelestem Ierusalem et anticipatio Ecclesiae eschatologicae in possidendo et contemplando Deo defixae ».(237) Sub huius vocationis missionisque lumine respondet clausura praecipuae necessitati *manendi cum Domino*. Circumclusum locum eligentes ubi vivant monachae virgines participes fiunt demissionis ipsius Christi per praecipuam paupertatem quae declaratur non rerum reiectione tantum, sed et « spatii », congressuum, tot bonorum creatorum. Haec singularis donandi « corpus » suum ratio vehementius immittit eas in eucharisticum mysterium. Una cum Iesu se dedunt illae pro mundi salute. Adipiscitur earum oblatio, praeter sacrificii expiationisque speciem, et gratiarum Patri agendarum in dilecti Filii gratiis participandis. Hac in spiritali intentione radices agens clausura non ratio tantum exstat ascetica praestantissima, sed et *modus quidam vivendi Christi Pascha*.(238) Vitae affluentia fit ipsa ex « mortis » experientia, atque laeta ponitur nuntiatio et prophetica anticipatio illius potestatis, singulis personis universoque hominum generi datae, pro Deo tantum vivendi in Christo Iesu.(239) *Cordis igitur cellulam* illam evocat clausura in qua ut cum Domino coniunctionem vivat quisque vocatur. Dum veluti donum suscipitur atque eligitur veluti libera amoris responsio, locus evadit illa spiritalis communionis cum Deo cumque fratribus sororibusque, ubi angustiae spatiorum et rariores hominum consuetudines proficiunt ad animis inserenda evangelica bona.(240)

Claustrales communitates, veluti civitates supra montem positae ac tamquam lucernae super candelabrum,(241) quamvis modesta sit earum vita, metam, *cunctam communitatem ecclesiam respicientem, manifeste significant*, « actione ferventem et contemplationi vacantem », (242) quae in temporis itinere progreditur atque futuram recapitulationem omnium rerum in Christo continenter prospectat, cum Ecclesia « cum Sponso suo apparebit In gloria(243) », (244) et Christus « tradiderit regnum Deo Patri, cum evacuaverit omnem principatum et omnem potestatem et virtutem... ut sit Deus omnia in omnibus ».(245)

Sororibus his carissimis gratum igitur animum significamus, quas pariter cohortamur ut vitae claustrali suo ex charismata fideles perstent. Earum quidam exemplo, hoc vitae genus complures vocationes usque recenset, atque allicit ob altam rationem sponsalis existentiae penitus Deo in contemplatione dicatae. Quandoquidem meram dilectionem significat quae plus valet quam quodvis opus, vita contemplativa admodum efficacem apostolicam missionalemque generat vim.(246)

Magnopere extulerunt quidem Patres Synodales clausurae praestantiam, postulata similiter ponderantes quae hinc illinc oriuntur de eius solida disciplina. Quae hac de re significavit Synodus atque nominatim consilium ut ampliorem decernendi facultatem habeant Antistitae Maiores in clausurae derogatione permittenda iustam et gravem ob causam,(247) ordinate considerabuntur, cum renovationis prae oculis habebitur iam hucusque

peractum iter, quod inde a Concilio Vaticano II initium cepit.(248) Hoc modo clausura variis suis in formis et gradibus - a papali clausura et constitutionali ad monachicam clausuram - Institutorum contemplativorum monasteriorumque traditionum varietati aptius congruet.

Sicut Synodus ipsa affirmavit, Consociationes praeterea et Foederationes promovendae, quas Pius XII iam commendavit nec non Concilium Oecumenicum Vaticanum II,(249) praesertim ubi alicuius consortionis auxiliique aliae formae efficaces desunt ad vitae contemplativae bona custodienda promovendaque. Sodalicia haec in tuto semper posita legitima monasteriorum autonomia valida subsidia ad quaestiones communes enodandas praestare possunt, ut sunt congrua renovatio, institutio sive prima sive permanens, mutuum oeconomicum auxilium atque ipsorum monasteriorum reconcinnatio.

RELIGIOSI FRATRES

60. Secundum Ecclesiae translaticiam doctrinam, vita consecrata sua natura *neque laicalis est neque clericalis*,(250) idcirco « laicalis consecratio », sive virorum sive mulierum, perfectum in se constituit professionis statum consiliorum evangelicorum.(251) Eadem ideo et personae ipsi et Ecclesiae proprium obtinet bonum, ministerio sacro seposito.

Ad Concilii Vaticani II doctrinam(252) Synodus magnam huic vitae generi aestimationem dedit, in qua religiosi fratres, sive intra sive extra communitatem diversa magnique pretii opera obeunt, communicantes sic munus Evangelii enuntiandi idemque per caritatem in cotidiana vita testificandi. Re ipsa aliqua ex his operibus *ministeria ecclesialia* haberi possunt, quae legitima auctoritas iis concredit. Id congruentem et universalem institutionem postulat: humanam videlicet, spiritalem, theologicam, pastoraalem et professionalem.

Secundum hodierna vocabula, « Instituta laicalia »(253) appellantur Instituta quae, conditoris voluntate vel legitimae traditionis vi, illam habent indolem et proposita, quae sacri ordinis exercitium non includunt. In Synodo tamen luculenter dictum est non significare verba haec omnibus ex partibus peculiarem indolem vocationis religiosorum horum Institutorum sodalium. Ii namque, quamvis complura opera sustineant quae et fideles laici, tamen ex qualitate consecratarum personarum ea agunt atque sic significant rationem donationis summae pro Ecclesia, ad cuiusque charisma.

Hac de causa synodales Patres, ut omnia vitarentur dubia atque cum fidelium laicorum saeculari indole permixtio,(254) appellationem proposuerunt *Instituta religiosa fratrum*.(255) Quae appellatio significans fit praesertim si perpenditur vocem fratres revocare etiam locupletem spiritualitatem. « Religiosi hi ut sint Christi fratres rogantur, cum Eo penitus coniuncti, qui est "primogenitus in multis fratribus",(256) ut inter se sint fratres in mutua dilectione atque in eadem sociata opera ad bonum Ecclesiae praestanda; cuiusque hominis fratres in caritatis testificatione qua Christus omnes complectitur, humiliores praesertim et indigentiores; fratres tandem, ut in Ecclesia maior efficiatur fraternitas ».(257) Christianae ac simul consecratae vitae partem hanc peculiariter experientes, « fratres religiosi » ipsos religiosos sacerdotes in Christo efficaciter commonefaciunt de insigni in Christi condicione fraternitatis, quae inter eos cumque viris mulieribusque cunctis est participanda, atque omnibus Domini verbum enuntiant: « Omnes autem vos fratres estis ».(258)

His in Fratrum Institutis religiosi ex Capituli generalis dispositione nihil obstat quominus quidam sodales sacris Ordinibus augeantur ut sacerdotes religiosae communitati inserviant.(259) Attamen Concilium Vaticanum II haud explicate hanc rem suadet, quandoquidem exoptat ut fratrum Instituta suae vocationi missionique fidem servent. Id tenendum etiam cum de Superioris munere adipiscendo agitur, quippe quod peculiari modo ipsius Instituti indolem referat.

Alia quidem est vocatio fratrum illorum Institutorum quae « clericalia » dicuntur, quia secundum conditoris propositum aut traditionis legitimae vi, Ordinis sacri exercitium secum ferunt, a clericis gubernantur et talia ab Ecclesiae auctoritate agnoscuntur.(260) His in Institutis ministerium sacrum pars necessaria est ipsius charismatis eiusque porro indolem, finem et sensum definit. Quod inibi sunt fratres, id significat Instituti missionem diversimode communicari, dum munera sustinentur sive intra communitatem sive in apostolicis operibus auxilium praestando iis qui ministerium sacerdotale exercent.

INSTITUTA MIXTA

61. Nonnulla religiosa Instituta, quae ad conditoris primigeniam mentem veluti fraternitates habebantur in quibus omnes sodales - sive sacerdotes sive non sacerdotes - aequales inter se considerabantur, progrediente tempore novam adepti sunt speciem. Instituta haec, quae « mixta » vocantur, foundationis charismate prae oculis habito, perpendant oportet sitne consentaneum et tolerabile ad primigeniam mentem et voluntatem redire. Patres synodales exoptarunt ut in id genus Institutis eadem omnibus religiosi iura officiaque adsignentur, praeter illa quae ex Ordine sacro oriuntur.(261) Ut hac de re quaestiones ponderentur eademque solvantur, apposita constituta est Commissio, cuius praestolandae sunt conclusiones, ut aptae depromantur electiones prout legitime statuetur.

EVANGELICAE VITAE NOVA GENERA

62. Spiritus, qui diversis temporibus multa vitae consecratae genera suscitavit, Ecclesiam sustinere non desinit, tum in Institutis quae nunc sunt fovendo renovationis officium in fidelitate erga primigenium charisma, tum nova charismata viris mulieribusque nostrae aetatis ministrando, ut institutiones condantur quae hodiernis

provocationibus occurrere valeant. Divinae huius actionis signum sunt *novae Institutiones*, quibus notae insunt quodammodo novae prae translaticii proprietatibus.

Novarum communitatum proprietates saepe in eo est quod agitur de coetibus viris mulieribusque constantibus, clericis laicisque, matrimonio iunctis caelibibusque, qui peculiare vitae genus persequuntur, quod modo ex hac, modo ex illa eruitur translaticia forma, vel hodiernae societatis necessitatibus aequatur. Eorum quoque vitae evangelicae munus varie significatur, dum in universum declaratur ad vitam communitariam vehemens ardor, ad paupertatem precationemque. Moderandi munus clerici et laici pro cuiusque facultatibus participant, atque apostolicum opus ad novae evangelizationis necessitates aperitur.

Si quidem hinc est de Spiritus opera laetandum, illinc necesse est ut gressus fiat ad *charismatum discretionem*. Ut de vita consecrata sermo seri possit, primum sane principium in eo nititur quod peculiariter novarum communitatum lineamenta et vitae genera praecipuis theologicis canonicisque elementis sustententur, quae vitae consecratae sunt propria.(262) Haec discretio sive in locali sive in universali ambitu necessaria est, ut uni Spiritui communitate oboediatur. In dioecesis de vitae testimonio deque conditorum conditricumque harum communitatum recta fide inquirat Episcopus, similiter de eorum spiritali vita, de ecclesiali sensu in missione complenda, de institutionis rationibus atque de modis in communitatem admittendi; si quae sunt infirmitates perpendat et patienter consequentes fructus exspectet.(263) ut charismatum veritatem agnoscant.(264) Nominatim ipse rogatur ut, ad perspicuas normas, de idoneitate iudicet eorum qui his in communitatibus ad ordines sacros accedere volunt.(265)

Eiusdem principii discretionis virtute, in ipso vitae consecratae genere recenseri non licet illas etiam commendabiles vivendi rationes quas nonnulli christiani coniuges in consociationibus motibusque ecclesialibus accipiunt, quotiens suum amorem ad caritatis consummationem proferre nitentes iam matrimonii sacramento « uti consecrati »(266) confirmant voto quodam obligationem castitatis vitae coniugalis propriae atque minime in filios neglectis officiis, paupertatem et oboedientiam profitentur.(267) Debita circumscriptio ipsius indolis talium experimentorum non eo spectat ut peculiare hoc sanctificationis iter subaestimetur cui scilicet haud desit Sancti Spiritus actio qui donis suis et impulsione infinitum in modum est locuples.

Prae tantis divitiis donorum atque incitationum ad novationem, consentaneum videtur *Commissionem institui quae quaestiones de vitae consecratae novis formis perpendat*, ut authenticitatis normas statuatur, quae in his discernendis et iudicandis iuvent.(268) Alia inter munera Commissio haec sub horum novissimorum decenniorum experientiae lumine aestimare debet quas novas consecrationis formas ecclesiastica auctoritas ex pastoralis prudentia et communi emolumento palam agnoscere possit eademque fidelibus exhibere perfectiori vitae christianae studentibus.

Novae hae vitae evangelicae sodalitates *minime locum occupant* illarum institutionum supra memoratarum, quae gradum insignem obtinent, sibi a traditione adsignatum. Etiam novae formae dono Spiritus adscribuntur, ut Ecclesia perenni cum magnanimitatis impetu suum Dominum sequatur, continenter ad Deum vocantem conversa, prout temporum signa significant. Sic mundo se ipsa ostendit sanctitatis operumque speciebus variegatam, veluti « signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».(269) Prisca Instituta, quorum complura per asperas temptationes transierunt saeculorum decursu fortiter toleratas, dialogum instituendo donaque permutando cum fundationibus quae nostra aetate oriuntur dutescere possunt.

Hac ratione variarum vitae consecratae institutionum vigor, ab antiquissimis ad recentissimas, itemque novarum communitatum vis, erga Spiritum Sanctum fidelitatem fovebunt, qui principium est communionis et perpetuae novitatis vitae.

III

In futurum aevum contuitus

DIFFICULTATES ET PRAEVISIONES

63. Societatum mutationes quae nunc fiunt nec non imminutus vocationum numerus nonnullis in mundi regionibus vitam consecratam deprimunt. Multorum Institutorum apostolica opera eorumque ipsa apud quasdam Ecclesias locales praesentia in discrimine versantur. Quemadmodum iam alias in historia usu venit, sunt etiam Instituta quibus periculum instat ne brevi plane dissolvantur. Universalis Ecclesia infinitas gratias agit propter adiumenta quae ad eiusdem aedificationem per testimonia et famulatum suum contulerunt.(270) Hodiernae aegritudines non auferunt earum merita neque fructus quos ipsarum labores pepererunt.

Aliis autem Institutis quaestio ponitur de operibus rursus disponendis. Hoc opus, haud facile sane immo non raro etiam acerbum, studium requirit et iudicium sub luce nonnullarum rationum. Sic, exempli gratia, proprii charismatis sensus est servandus, vita fraterna provehenda, Ecclesiae tum universalis tum particularis necessitatibus succurrendum, tuenda ea quae mundus negligit, liberaliter et audacter novae paupertates iuvandae in desertioribus potissimum locis, quamvis id agatur intercessionibus necessario minoris pretii.(271)

Difficultates quae multiplices existunt ob imminutos et operarios et incepta, *nullo pacto efficere debent ut fiducia amittatur de vitae consecratae evangelica virtute*, quae continenter in Ecclesia aderit et operam dabit. Tametsi singulis Institutis perennitatis nota deest, inter fideles vita consecrata dilectionem in Deum fratresque alere perget. Idcirco *historica sors* cuiusque Instituti vel formae vitae consecratae distinguenda est ab ipsa

ecclesiali missione vitae consecratae qua talis. Altera namque mutatis condicionibus mutari potest, altera numquam deerit.

Id simul ad consecratam generis contemplativi vitam valet, simul ad illam quae apostolica opera persequitur. Universim, Spiritu iterum iterumque movente, vita consecrata sine intermissione progreditur veluti praeclara testificatio inseparabilis unitatis amoris Dei et proximi, tamquam videlicet vivida memoria fecunditatis, humanae etiam et socialis, ipsius amoris Dei. Angustiarum condicionibus, quae nunc accidunt, pacato occurrendum est animo illius hominis qui scit ab unoquoque repeti *non tam successum quam fidelitatis officium*. Omnino est cavendum ne vita consecrata vere profligetur, quae profligatio non in decrescente sodalium numero consistit sed in spiritali a Domino ac a propria vocatione missioneque defectione. At contra in ea fideliter perstans quispiam prae mundo quoque solidam fiduciam efficacissime profitetur de historia Domino, in cuius manibus aetates ac sortes sunt personarum, institutionum populorumque ideoque etiam donorum per tempora complendorum. Acerbae condiciones et discrimina consecratas personas fortiter ad fidem de morte deque Christi resurrectione proclamandam impellunt, ut conspicuum fiant ipsae signum transitus a morte ad vitam.

PASTORALIS OPERAE VOCATIONALIS NOVUS IMPETUS

64. Vitae consecratae missio atque vigor Institutorum pendent certe a retenta fidelitate qua consecrati suae vocationi respondent, at futurum circumspectant tempus ea ratione qua *alii homines et mulieres prompte Domino vocanti obsequuntur*. Vocationum quaestio vera est provocatio quae quidem Instituta religiosa apprime compellat, totam tamen Ecclesiam implicat. Pro vocationum pastoralis opera ingentes corporales spiritualesque vires effunduntur, at effectus non semper exspectationibus et nisibus congruunt. Sic accidit ut, dum ad vitam consecratam vocationes florent in novellis Ecclesiis atque in illis quae persecutiones a regiminibus omnia imperiose moderantibus passae sunt, in nationibus contra quae ex consuetudine vocationibus etiam missionalibus ditabantur iam rarescant.

Haud felix haec condicio personas etiam consecratas temptat eaque interdum se ipsae interrogant: potestatemne amissimus novas vocationes alliciendi? In Domino Iesu est reponenda fiducia, qui ad se sequendum continenter vocat, atque Spiritui Sancto confidendum, vitae consecratae charismatum auctori et impulsori. Dum igitur laetamur de actione Spiritus, qui Christi Sponsam in iuvenilem vigorem redigit efficiens ut compluribus in nationibus vita consecrata floreat, plurima prece Dominum messis precari debemus, ut operarios mittat in Ecclesiam suam, ad novae evangelizationis necessitatibus occurrendum.(272) Praeter precationem pro vocationibus provehendam, omnino operari necesse est ut, per claram nuntiationem et consentaneam educationem in hominibus ad vitam religiosam vocatis libera illa eliciatur responsio eademque prompte et alacris, quae vocationis gratiam efficientem reddat.

Iesu invitatio: « Venite et videbitis », (273) hodiernis quoque temporibus *regula aurea* perstat pastoralis industriae pro vocationibus. Vult ostendere ipsa, ad conditorum conditricum exemplum, *personae Domini Iesu fascinationem* nec non pulchritudinem integrae sui donationis pro Evangelii causa. Omnium consecratorum consecratarumque capitale munus est animose verbo exemploque sequelae Christi praestantiam exhibere, responsionem deinde sustentantes Spiritus impulsionibus in vocatorum cordibus.

Primae cum Christo congressionis inflammationi subsequi debet, ut liquet, perseverans cotidiana responsionis nisus, quae vocationem in historiam amicitiae cum Domino convertit. Cuius rei causa vocationum actio pastoralis congrua subsidia adhibeat, veluti *spiritalium moderationem*, ut personalis illa responsio erga Dominum alatur, quae summi ponderis est ut discipuli eiusque Regni apostoli fiant. Si ergo vocationum flos qui in multis orbis terrarum regionibus comprobatur fiduciam spemque confirmat, earum simul penuria in aliis terrarum regionibus animum frangere non debet neque ad faciles subitaneosque tironum delectus propellere. Oportet promovendarum vocationum opus, ita agatur ut magis magisque *totius Ecclesiae opus et conspiratio* appareat.(274) Id proinde pastorum, religiosorum, familiarum et institutorum diligentem sibi vindicat cooperationem, quemadmodum ipsum munus requirit quod pars est necessaria sociatae omnium particularium Ecclesiarum operae. Adsit ideo in omnibus dioecesibus *hoc commune ministerium*, quod vires colligat ac multiplicet, quin tamen vocationum actioni cuiusque Instituti ulli sit detrimento, immo eidem emolumento.(275) Haec totius Populi Dei actiosa cooperatio, quam Providentia sustentat, facere non potest quin superna dona affatim procuret. Christiana solidaritas largiter vocationum instituendarum necessitatibus subveniat in nationibus rerum penuria laborantibus. In his nationibus vocationes a variis Institutis cum Ecclesiis localibus concorditer perquirantur, postquam per productum tempus eorum pastoralis opera actuose agi coepta est.(276) Tum verissime impulsioni Spiritus obsecundatur cum optimae vires in vocationum operam abunde profunduntur, per pastorem potissimum iuvenum industriam congruenter actam.

PRIMORUM INSTITUTIONIS RUDIMENTORUM CURA

65. Peculiarem considerationem intendit synodalis Coetus in *Institutionem* illorum qui se Domino consecrare cupiunt.(277) *Illuc maxime tendit* institutorium iter, ut homo formetur ad se totum Deo in Christi sequela consecrandum, in missionis famulatu. « Affirmativa » responsio Domino vocanti atque dynamismi vocationalis auctionis conscia personalis receptio ad non alienabilem pertinet responsalitem cuiuslibet vocati, cuius quidem est suae vitae spatium aperire Sancto Spiritui operanti magnoque animo institutionale iter adoriri in fide accipiens interventus quos Dominus Ecclesiae exhibent.(278)

Quapropter institutio altius descendere debet usque ad personam ipsam, ita ut eius singuli mores vel gestus, tum in capitalibus tum in suetis vitae temporibus, plenam laetantemque eius condicionem pertinendi Deo patefaciant.(279) Quia vero vitae consecratae propositum est Domino Iesu configurari eiusque *toti oblationi*,(280) institutio hoc ipsum praecipue consequi vult. De itinere agitur ad Christi erga Patrem sensus pedetemptim adipiscendos.

Si illud est vitae consecratae consilium, ratio quae ad eam ducit *universalitatis quandam notam* accipere ac prae se ferre debet. Persona tota formanda est (281) in omnibus suae individualitatis partibus, cum in moribus tum in voluntatibus. Propterea quod ad totam personam transformandam intendit, omnino liquet *formandi munus numquam desinere*. Oportet enim usque ad finem consecratis personis facultas detur progrediendi in coniunctione cum charismate missioneque proprii Instituti.

Institutio, ut sit universalis, omnes vitae christianae vitaeque consecratae partes complectetur. Praevidenda idcirco est humana, culturalis, spiritalis pastoralisque educatio, et illud potissimum animadvertatur ut variae res inter se congruenter componantur. Prima instructio, quae tamquam progrediens habetur processus qui omnes uniuscuiusque maturationis gradus decurrit - videlicet a psychologico spiritalique ad theologicum pastoralemente - temporis spatium satis amplum obtinere debet, quod, cum de vocatis ad presbyteratum agitur, convenit et conciliatur cum praestituta studiorum ratione, velut cum amplioris institutorii curriculi parte.

MAGISTRORUM MAGISTRARUMQUE OPERA

66. Deus Pater, per Christi Spiritusque continuatum donum, ipse est praestantissimus doctor illius qui ei se consecrat. Sed hanc operam explicat Ille humana per instrumenta, prope eum quem vocat locans nonnullos fratres sororesque maiores. Institutio est igitur participatio actionis Patris ipsius qui, per Spiritum Sanctum, in iuvenum cordibus Filii sensus fingit. Quocirca Institutores et Institutrices esse debent personae peritae viae Dei exquirendae, ut ceteros quoque hoc in itinere comitari queant. Ad gratiae divinae actionem animum intendentes, obstacula etiam abditiora significare sciant, at ante omnia ostendant Domini sequelae pulchritudinem atque charismatis praestantiam in quo ipsa explicatur. Spiritalis sapientiae luminibus humana instrumenta nectant, quae auxilio sint in vocationibus dignoscendis, in novo homine efformando, ut vere fiat liber. Praecipuum institutionis instrumentum est singulare colloquium, quod certa ratione certisque temporibus est exercendum, veluti necessariae comprobataeque efficacitatis consuetudo.

His quidem pro ministeriis tanti ponderis videtur revera pernecessaria institutio educatorum aptorum, qui in sua industria congruentiam praestent cum totius Ecclesiae itinere. Consentaneum est ut opera condantur ad *institutores erudiendos*, praesertim in locis ubi necessitudines dentur cum cultura in qua cuiusque pastorale munus deinceps geretur. Hoc in formandi opere, Instituta aptiore ratione constituta opem Institutis fundatione recentioribus ferant, suos optimos commodando sodales.(282)

COMMUNITARIA ET APOSTOLICA PRAEPARATIO

67. Quandoquidem institutio esse debet etiam *communitaria*, peropportunos eius locus Institutis vitae religiosae et Societatibus vitae apostolicae communitas est. In ea enim initiatio fit ad laborem adque iucunditatem una simul vivendi. In fraternitate quisque cum eo vivere discit, quem Deus iuxta posuit, potiores eius virtutes accipiens pariterque diversitates et ipsius limites. Dona in primis communicare discit quae ipse omnium aedificandorum causa recepit, quandoquidem « unicuique ... datur manifestatio Spiritus ad utilitatem »(283).(284) Eodem tempore inde a prima institutione intrinsecam missionalem consecrationis faciem commonstrare debet vita communitatis. Quapropter, primae formationis tempore, in vitae consecratae Institutis utile sane est quaedam re experiri, quae prudenter comitentur educatores atque educatrices, ut per dialogum cum illa cultura quae circa iacet apostolicae exerceanter affectiones, potestas se condicionibus accommodandi, operandi alacritas.

Si altera autem ex parte magni refert ut persona consecrata gradatim evangelicam conscientiam consequatur quae bona ac non bona iudicare valeat tum suae culturae tum illius in quam postmodum operans incidet, ex altera quidem se exercere debet in difficili arte vitae unitatis, mutuae coniunctionis caritatis erga Deum atque fratres sororesque, dum experitur precationem esse animam apostolatus, sed etiam precationem apostolatu animari et incitari.

RATIO NECESSARIO COMPLENDA ADQUE NOSTRAM AETATEM ACCOMMODANDA

68. Certum institutionale temporis spatium, quod producit ad perpetuam votorum professionem, proponitur Institutis quoque mulierum nec non virorum, cum de institutione agitur fratrum laicorum. Idem fere de claustralibus communitatibus dici debet, quibus cordi erit institutarum rationum apta conficere elementa quod pertinet ad authenticam vitae contemplativae formationem adque ipsius in Ecclesia specialem missionem.

Synodales Patres vehementer sunt cohortati cuncta Instituta vitae consecratae et Societates vitae apostolicae ut *rationem institutionis* quam primum redigerent, institutorium scilicet consilium foundationis charismati conformatum, in quo perspicue dynamiceque iter faciendum ostenderetur ad plene propriae familiae religiosae spiritalitatem perficiendam. *Ratio haec* hodie omnino est necessaria: simul enim regulam dat ipsa Instituti spiritum transmittendi, ut idem in germana percipiatur sua bonitate a novis stirpibus, diversitatibus exstantibus culturae locorumque condicionum; simul personis consecratis instrumenta collustrat, ut idem spiritus in variis existentiae temporibus sustineatur, dum ad plenam fidei in Christum maturitatem proceditur.

Si ergo verum est vitae consecratae renovationem praecipue ex institutione pendere, aequabiliter verum est hanc institutionem vicissim cum facultate coniungi quandam rationem viamque proferendi spiritali atque paedagogica sapientia ditatam, quae pedetemptim eum qui se consecrare vult ad Christi sensus induendos perducatur. Institutio processus est vitalis per quem in Dei Verbum persona se convertit usque ad intimum sui ipsius recessum, eodemque tempore artem discit requirendi in mundo significationes Dei. Hac aetate, qua ex cultura magis magisque religiosi valores exterminantur, processus hic institutorius duplicem ob rationem magni est momenti: per eum persona consecrata non modo pergere potest fidei oculis Deum « videre » in mundo illo, qui ipsius praesentiam ignorat, verum etiam per sui charismatis testimonium quodam modo eius praesentiam « sensibilem » reddit.

PERPETUA INSTITUTIO

69. Perpetuam institutionem, Instituta tum vitae apostolicae tum vitae contemplativae, intrinsece religiosas propter consecrationem deposcunt. Ut supra dictum est, institutorius processus non contrahitur in primam curriculum partem, quia humanos propter limites numquam persona consecrata putare potest se ad maturitatem illius novi hominis pervenisse, qui intra se, in omnibus vitae rerum adiunctis, eosdem Christi sensus experit. *Prima* igitur institutio copulari debet cum *perpetua*, subiectum ita disponens ut singulis vitae diebus formetur.(285)

Idcirco permagni refert ut unumquodque Institutum inducat, veluti partem *rationis institutionis*, consilium quantum fieri potest definitum et ordinatum institutionis perpetuae, cuius primarius finis sit singulas consecratas personas comitari quodam rerum indice totam vitam complectente. Nemo quidem ab humani spiritalisque incrementi studio se subducere potest; itemque nemo se efferre potest et per se ipse suam vitam elate moderari. Nulla vitae pars tam secunda tamque fervida haberi potest, ut opportunae singularesque curae seponantur unde perseverantia praestetur in fidelitate, sic ut nulla datur aetas qua consummata videri possit personae humanae maturitas.

IN FIDELITATIS DYNAMICA VIRTUTE

70. Spiritus iuventa invenitur quae progrediente tempore manet: ipsa enim in eo est quod quisque homo in omni vitae temporis spatio conquirat invenitque diversum officium agendum, peculiarem rationem existendi, vivendi et amandi.(286)

In vita consecrata *primi anni quibus quispiam in vitam apostolicam plene immittitur* difficiles per se ipsi habentur, cum a vita fere manu ducta transeat ad *plena responsalitate operis* condicionem. Multum ideo interest ut frater sororve sustentet et comitetur novellas personas consecratas, ut opem ferat ad plane iuvenilem amorem studiumque erga Christum tenendum.

Subsequenti tempore *periculum cuiusdam consuetudinis* existere atque invalescere potest despondendi animi temptatio exigua propter effectus. Mediae tum aetatis consecrati homines sunt adiuvandi ut sub Evangelii et charismatici sensus lumine primigeniam electionem recognoscant, donationis plenitudinem cum rerum effectarum summa non confundentes. Id novum impetum incendet novaque argumenta ad electionem implendam ministrabit. Temporis aetas est qua essentialia res quaeruntur.

Aetatis maturae tempus, una cum cuiuslibet personae auctu, comportare potest etiam *periculum ne sibi uni quisque consulat*, quam rem simul comitatur timor ut quis temporibus sit par, simul quidam habitus alicuius mentis intolerantis clausae laxatae. Perpetua institutio non modo iuvare vult ut recuperetur altior spiritalis apostolicaeque vitae gradus, verum etiam ut huius existentiae proprietates intellegatur. In ea namque, quibusdam mundatis personalitatis elementis, sui oblatio maiore cum puritate ac munificentia ad Deum ascendit atque in fratres sororesque sedatior et modestior simulque nitidior gratiusque ditior recidit. Donum quippe est atque experientia paternitatis maternitatisque spiritalis.

Devexa aetas novas quaestiones ponit, quibus per prudentem quandam spiritalem operam est occurrendum. Quod gradatim ab agendo aliquis retrahitur, quibusdam in casibus morbi interventus atque necessaria ab opere cessatio, illam efficiunt experientiam quae summopere erudire potest. Condicio haec saepe acerba, personae consecratae seniori copiam dat sese paschali experientia imbuendi,(287) cum Christo cruci affixo sese configurando, qui Patris voluntatem penitus complet et eius minibus se concredit, donec ei reddit spiritum. Haec configuratio nova est ratio consecrationis experiendae, quae cum efficientia alicuius muneris regendi vel apostolici operis non coniungitur.

Cum autem *tempus appetit sese coniungendi cum extrema hora passionis Domini*, consecrata persona intellegit arcanum illum institutorium processum quondam inchoatum iamiam Patrem esse completurum. Mors tum exspectabitur et parabitur tamquam summus novissimusque amoris actus suique deditio.

His adiciendum quod, extra varia vitae tempora, omnis aetas, extrariis rebus intervenientibus, in discrimina venire potest - propter locum officiumve immutatum, ob operis difficultates vel apostolicos adversos eventus, dissensiones, a vita sociali quandam exclusionem, hisque similia - aut quasdam ob causas ad personam ipsam pertinentes - ob corporis animique adversam valetudinem, spiritalem aliquam siccitatem, luctus, inter personas simultates, vehementes temptationes, fidei identitatisve discrimen, vanitatis sensum, et ita porro -. Cum fidelitas difficilior evadit, personae alicuius praesidium validioris fiduciae vehementiorisque amoris est praebendum, cum personali tum communitaria ratione. Necesse est tunc ante omnia ut benigne adsit Superior; magnum proinde

solacium a quodam fratre vel sorore insigniter auxiliante quoque obveniet, cuius sollicita curiosaque praesentia efficiet ut iterum detegatur foederis sensus quod Deus primus pepigit quodque repudiare non vult. Hoc modo persona probata purificationem accipiet et spoliationem veluti actus summi momenti assensionis Christo cruci affixo. Temptatio ipsa providum institutionis instrumentum in Patris manibus apparebit, veluti certamen non modo *psychologicum*, quod ipsum « ego » quoad se ipsum suasque infirmitates gerit, verum et *religiosum*, quod praesens Deus Crucisque virtus cotidie signant!

INSTITUTIONIS PERPETUAE NATURA

71. Si quidem institutionis subiectum omni vitae tempore est ipsa persona, institutionis finis est universa humana creatura quae ad quaerendum amandumque Deum vocatur ex toto corde, ex tota anima et ex tota fortitudine(288) et proximum sicut se ipsum.(289) Erga Deum fratresque amor valida est vis, quae continenter auctus et fidelitatis cursum pervadere potest.

In Spiritu vita ex natura primas profecto agit partes. In ea persona consecrata suam rursus invenit identitatem et altam tranquillitatem, adolescit in cotidianis provocationibus Dei verbi percipiendis atque germano sui Instituti instinctu duci se sinit. Spiritu impellente, orationis silentii solitudinis tempora acriter defenduntur atque ex Alto enixe sapientiae donum in cotidiano labore deposcitur.(290)

*Humana fraterna*que *indoles* sui cognitionem postulat suosque fines intellegit, ut incitamentum fulcimentumque in itinere ad plenam liberationem capiantur. Peculiare quidem momentum induunt, hodiernis in rerum adiunctis, interior libertas personae consecratae, eius affectionum complementum, facultas cum omnibus communicandi in propria potissimum communitate, animi quies, consensus cum dolentibus, veritatis amor, inter dicta et facta consensus.

Apostolica qualitas mentem personae consecratae corque recludit eamque ad constantem actionis nisum comparat, veluti signum amoris Christi qui eam incitat.(291)

Re ipsa id adducet ad rationum apostolicorumque operum accommodationem, in fidelitate servata erga spiritum mentemque Fundatoris vel Fundatricis inque traditiones deinceps effectas, dum considerantur mutatae iam condiciones historicae culturalesque, universales et locales, illius loci ubi opus fit.

Cultus munerisque amplitudo, solida praehabita theologica institutione ad iudicium ferendum efficaci, ad praesentia tempora continuatam accommodationem requirit atque postulat ut diversae provinciae, ad quas quodque charisma intendit, peculiari modo animadvertantur. Oportet igitur cuiusque mens aperta maneat et quantum fieri potest versatilis, ut famulatus ad temporum necessitates concipiatur et agatur, instrumentis adhibitis quae culturalis progressus praebet.

In charismatis demum *amplitudine* omnia alia postulata colliguntur, sicut synthesis quae propriae peculiaris consecrationis diversis in suis partibus continuam postulat perscrutationem, non tantum in apostolica verum et in mystica et ascetica parte.

Id requirit ut quisque sodalis sui Instituti indolem, historiam ac missionem assidue vestiget, ut personalem communitatisque intellectum perficiat.(292)

CAPUT III

Servitium caritatis

Consecrata vita amoris Dei erga mundum demonstratio

AD MISSIONEM CONSECRATI

72. Secundum Iesu imaginem, dilecti Filii « quem Pater sanctificavit et misit in mundum », (293) illi quoque quos ad sui sequelam Deus advocat consecrantur atque inter homines demandantur ut eius exemplum imitentur eiusque opus propagent. Funditus, hoc ad omnem valet discipulum. Verumtamen ad eos singulariter pertinet qui intra propriam consecratae vitae formam vocantur ut Christum « propius » sectentur et in Illo suae vitae « Totum omne » reponant. Eorum idcirco vocatione illa comprehenditur destinatio ut *muneri totos se dedant*; quin immo, operante Spiritu Sancto qui omnem gignit vocationem omneque charisma, ipsa consecrata vita quaenam quasi fit missio, qualis tota omnino fuit Iesu vita. Evangelicorum consiliorum professio, quae pro Evangelii causa liberat plane personam, hoc pariter in prospectu pondus suum patefacit. Adfirmari propterea oportet *pernecessariam omni Instituto esse hanc missionem*, non modo in actuosae apostolicae vitae, verum etiam in vitae contemplativae institutionibus.

Prius enim quam missio ad exteriora opera sese describat, iam explicatur in Christo mundo proponendo per personalem testificationem inter homines. Haec quidem est provocatio, hoc principale vitae consecratae officium! Quo amplius quis sinit se Christo configurari, tanto magis Illum praesentem refert operantemque in mundo ad hominum salutem.

Dici idcirco potest consecrata persona « in missione » iam versari virtute consecrationis suae quam illa testatur ad propositum sui Instituti. Quotiens ipsius fundans charisma pastoralement praecipiat industriam, totiens postuletur oportet tum vitae testificatio tum apostolatus opera hominumque provectionio: Christum enim exhibet utraque ratio, qui simul consecratus elucet ad Patris gloriam simul in orbem missus propter fratrum sororumque salutem.(294)

Particeps insuper Christi muneris est religiosa vita ob aliud quoddam peculiare propriumque elementum, quod est *fraterna in communitate vita ad missionem*. Quapropter eo magis erit religiosa vita apostolica quanto interius

sese Christo Domino devovebit, quanto magis communitaria erit vitae forma fraterna, eo amplius muneri Instituti proprio dedetur.

IN DEI HOMINISQUE MINISTERIUM

73. Propheticum prae se fert consecrata vita officium *ut commemoret atque Dei consilium consummet super hominibus*, quemadmodum iam Sacris nuntiatur in Litteris et eminet ex diligenti scrutatione signorum providae Dei actionis per hominum historiam. Consilium est de hominum genere servato ac reconciliato.(295) Hoc vero ut convenienter expleant ministerium oportet induant consecrati homines altam Dei experientiam atque provocationum sui temporis sumant conscientiam earumque secretum theologicum sensum percipiant, per discretionem quae fit Spiritu adjuvante. Re quidem vera sub historiae eventibus saepe appellatio Dei latet ut secundum eius consilia efficaciter se gerant homines in nostrae aetatis eventa.(296)

Signorum temporum aestimatio, proinde ac Concilium confirmat, sub Evangelii lumine peragenda est ut ea « ad perennes hominum interrogationes de sensu vitae praesentis et futurae deque earum mutua relatione respondere possit ». (297) Necesse ideo est animus aperiatur interioribus Spiritus consiliis vocantis ad alta percipienda Providentiae proposita. Consecratam vitam provocat ipse ut novas responsiones hodiernis mundi quaestionibus fingat. Appellationes sunt divinae quas tantum animae quae in omnibus Dei voluntatem quaerere solent fideliter suscipere valent, deindeque fortiter in certas convertere selectiones quae cum pristino consentiant charismate simulque cum postulatis certarum historiae condicionum.

Coram compluribus quaestionibus atque necessitatibus, quae in periculum nonnumquam adducere, immo consecratam vitam evertere videntur, non possunt ipsi vocati facere quin officium animadvertant in animis precationibusque multas gestandi totius orbis postulationes, unaque simul alacriter operam dantes in rerum provinciis ad foundationis charisma pertinentibus. Ut patet, eorum deditus animus *supernaturali iudicio* gubernari debet, quod ea quae a Spiritu procedunt distinguere valet ab iis quae illi sunt contraria.(298) Idem, per ipsam Regulae atque Constitutionibus fidelitatem, cum Ecclesia plenam observat communionem.(299)

Hac ratione non solum temporum signa consecrata vita leget, verum proderit etiam elaborandis et exsequendis *novis evangelizationis propositis* intra hodierna rerum adiuncta. Fiet quidem hoc omne illa in fidei certitudine vel difficillimis interrogationibus posse Spiritum consentaneas reddere responsiones. Hac autem in re expediet ut ea rursus detegantur quae praestantes apostolicae industriae auctores semper tradiderunt: confidere Deo oportet veluti si universa ab Eo dependeant, eodemque tempore magno animo operari tamquam cuncta pendeant ex nobis.

ECCLESIALIS CONSOCIATA OPERA ATQUE SPIRITALITAS APOSTOLICA

74. Cum aliis Ecclesiae partibus singula *in communione ac dialogo* sunt agenda. Missionis enim provocationes id genus sunt ut sine consociata omnium Ecclesiae sodalium opera iis efficaciter satisfieri nequeat, tum in aestimandis tum in efficiendis rebus. Dufficulter namque habent singuli extremam responsionem, quae quidem ex comparatione et colloctione profluere potest. Actuosa communio nominatim varia inter charismata necessario quidem perficiet ut non solum mutuo locupletentur, verum etiam efficacius in missione operentur. Affatim confirmat horum annorum experimentum « caritatis usitato iam nomine colloquium »(300) appellari, praesertim caritatis ecclesialis; adiuvat illud ut veris suis rationibus perspiciantur quaestiones permittitque ut maiore cum successus spe illis obviam procedatur.

Idcirco quod vitae fraternae bonum percolit consecrata vita, ipsa proponitur quasi praecellens dialogi experientia. Aliquid conferre idcirco potest generando mutuae tolerantiae animo, in quo ecclesialia varia subiecta, se digno quidem modo aestimari sentientes ob id ipsum quod sunt, in communionem ecclesialem ad magnum universale munus tendentem ex certiore mentis sententia convenient.

Decet denique *solida actionis spiritualitas* excoletur in Institutis quibus una alterave imponitur apostolici ministerii species, dum in omnibus rebus conspiciatur Deus in Deoque res omnes. Etenim « sciendum est quia sicut bonus ordo vivendi est ut ab activa vita in contemplativam tendatur, ita plerumque utiliter a contemplativa animus ad activam reflectitur, ut per hoc quod contemplativa mentem accenderit, perfectius activa teneatur. Debet ergo nos activa ad contemplativam transmittere, et aliquando tamen ex eo quod introrsus mente conspeximus contemplativa melius ad activam revocare ». (301) Iesus ipse nobis perfectum tradidit exemplum de ratione per quam cum Patre communio copulari possit cum vita maxime actuosa. Nisi vero hanc ad coniunctionem constanter tenditur, perpetuo insidiatur periculum ne interior homo collabatur, distrahatur, frangatur. Arta consociatio contemplationis cum actione patietur ut opera difficillima obeantur hodie quemadmodum antehac.

I

Amor usque ad finem

CHRISTI CORDE DILIGENDUM

75. « Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et in cena ... surgit ... et coepit lavare pedes discipulorum et extergere linteo, quo erat praecinctus ». (302)

Patefacit Iesus amoris Dei erga hominem altitudinem in pedum lavatione: in Ipso sese Deus tradit in hominum famulatum! Revelat Ille, eodem tempore, vitae christianae sensus potioreque ratione etiam consecratae vitae quae *vita amoris sese offerentis* est, concreti alacrisque ministerii. Se enim in Filii hominis sequelam

committens, qui « non venit ministrari sed ministrare », (303) signata est consecrata vita, melioribus saltem longissimae suae historiae temporibus, hac ipsa « pedum lavatione », id est ministerio praesertim erga pauperiores et indigentiores. Si altera ex parte excelsum Verbi in Patris sinu (304) mysterium ipsa contemplatur, idem Verbum ex altera parte sectatur quod caro fit, (305) quod se demittit seque deficit ut hominibus serviat. Personae Christum in consiliorum evangelicorum semita sequentes hodie quoque illuc procedere cupiunt quo Christus praegressus est idemque efficere quod iam Ipse effecit.

Ad se novos continenter accessit discipulos, viros ac mulieres, quibuscum per Spiritus effusionem (306) *agapem* divinam communicet suamque rationem amandi, quosque ita compellat ut per humilem sui ipsorum donationem ab omnibus propriis commoditatibus alienam ipsi ceteris famulentur. Petro Transfigurationis luce abrepto exclamantique: « Domine, bonum est nos hic esse », (307) invitatio intenditur ut in mundi redeat vias, ut Regno Dei deservire pergat: « Descende, Petre; requiescere cupiebas in monte, descende, praedica Verbum, insta opportune, importune, argue, hortare, increpa, cum omni longanimitate et doctrina. Labora, desuda, patere aliqua tormenta; ut quod in candidis vestimentis Domini intellegitur, per candorem et pulchritudinem rectae operationis in caritate possideas ». (308) Oculi in Domini vultum conversi haud minuunt in apostolo officium erga homines; contra, dum nova eum instruunt potestate historiam afficiendi, validum eum reddunt ut eandem historiam ab iis omnibus liberet quae eam deformant.

Divinae venustatis inquisitio personas incitat consecratas sibi ut curam sumant divinae imaginis in fratrum sororumque vultibus deformis distortae: hi enim sunt vultus fame detorti, vultus promissis politicis decepti, abiecti vultus eorum qui suam cernunt contemptam culturam, vultus cotidiana atque indiscreta violentia perterriti, conflictati vultus puerorum, feminarum vultus offensarum et spretarum, defatigati migrantium vultus sine congruo hospicio, seniorum denique vultus sine minimis ad vitam dignam necessariis condicionibus. (309) Hac ratione operum eloquentia demonstrat vita consecrata divinam ipsam caritatem fundamentum incitamentumque esse gratuiti et actuosi amoris. Hoc sibi penitus persuasum habebat sanctus Vincentius a Paulo qui Caritatis Filiabus hoc vitae propositum dedit: « Societatis spiritus in eo est ut Deo sese dedant ad Dominum Nostrum amandum Eique serviendum sensibiliter atque in spiritu in pauperum personis, eorum in domibus atque alibi, ut adulescentulas pauperes instituant, pueros, in universum quotquot divina miserit Providentia ». (310)

Inter varia quae fieri possunt caritatis genera illud quod proprio quodam titulo hominibus amorem ostentat « usque in finem », hodie certe est flagrans Iesu Christi nuntiatio iis qui nondum eum noverunt, qui sunt Ipsius obliti, at potissimum pauperibus.

PROPRIUM VITAE CONSECRATAE TRIBUTUM EVANGELIZATIONI ADDITUM

76. In eo consistunt propriae consecratorum et consecratarum partes ad evangelizationem collatae in vita usquequaque Deo ac fratribus donata in primis ad amatissimi Servatoris imitationem qui pro hominum amore famulus est factus. In opere enim salutis cooriuntur omnia de participata *agape* divina. Sua nempe consecratione planaue deditio visibilem reddunt consecratae personae amantem salutaremque Christi praesentiam, qui Patris est Ipse consecratus in missionem demandatus. (311) Cum enim illi consecrati homines se sinunt ab Eo comprehendi, (312) comparant item se ut quaedam quasi continuatio eius humanae naturae evadant. (313) Testatur eloquenter consecrata vita, eo melius licere in aliis Ei servire quo magis de Christo vivatur, primas etiam missionis stationes petendo maximaque in se recipiendo pericula. (314)

EVANGELIZATIO PRIMA: GENTIBUS ANNUNTIARE CHRISTUM

77. Qui Deum amat, omnium hominum Patrem, non potest quin et similes suos amet in quibus tot fratres sororesque agnoscit. Hanc ob causam fieri non potest ut ille neglegentem se praebeat dum animadvertit eorum multos nondum plenam amoris Dei novisse patefactionem in Christo. Hinc in primis, ex oboedientia Christi mandato, missionalis oritur impetus *ad gentes* quem quivis conscius sibi christianus cum Ecclesia communicat, utpote quae sit natura sua missionalis. Ardor hic animadvertitur a sodalibus potissimum Institutorum tam contemplativae vitae quam actuosae. (315) Officium enim consecratos consecratasque obstringit etiam inter non christianos (316) repraesentandi castum pauperem oboedientem Christum, missionarium atque orantem. (317) Suo charismati dynamice fidem servantem, ipsi per intimiorem consecrationem Deo factam (318) necessario se implicari sentiunt peculiari cooperatione cum missionali Ecclesiae navitate. Desiderium totiens a Teresia Lexoviensi prolatum, « te diligere ac facere ut diligaris », fervens sancti Francisci Xaverii anhelitus ut : « Si secum volvant quam rationem Dominus noster Deus petiturus de ipsis sit atque dotibus similiter tributis, eorum multi permoveantur ut instrumenta et Exercitia illa spiritalia adhibeant unde cognoscere intusque in animis suis persentire possint divinam voluntatem cui magis sese accommodantes quam propriis affectibus dicant: Domine, ecce adsum, quid vis faciam? mitte me quo volueris », (319) similesque aliae innumerabilium animarum sanctarum testificationes, missionariam patefaciunt inextinguibilem contentionem, qua notatur vita consecrata et designatur.

IN OMNI TERRARUM LOCO PRAESENTES

78. « Caritas Christi urget nos »: (320) omnis Instituti sodales posse idem repetere debent cum Apostolo, cum vitae consecratae munus sit in omni operari terrarum provincia ad Christi Regnum firmandum et prolatum, dum quoquoersus, etiam in remotissimas regiones, Evangelii nuntius differtur. (321) Re quidem vera missionalis operis annales testantur magnum beneficium quod evangelizandis populis illi contulerunt: ab antiquis

monasticis Familiis ad recentiores etiam Institutiones in missione *ad gentes* dumtaxat versantes, a vitae activae Institutis ad alia contemplationi dedita,(322) innumeri homines suas vires collocaverunt in hac « primaria Ecclesiae actione ..., essentiali nec umquam conclusa », (323) quoniam ad multitudinem crescentem destinatur eorum, qui Christum non noverunt.

Pergit etiam hodie idem officium vehementer Instituta vitae consecratae provocare nec non apostolicae vitae Societates: ab iis quam maximas partes poscit Evangelii Christi nuntiatio. Instituta etiam, quae oriuntur atque inter iuvenes Ecclesias operantur, invitantur ut missioni se aperiant inter non christianos, intra extraque suam patriam. Quamvis existant perspicuae difficultates quibus Instituta quaedam exponi possunt, peropportune tamen omnes id commonentur: sicut « fides corroboratur eam donando! »(324), sic consecratam vitam roborat missio ipsa, cui novum studium novasque addit agendi causas cuiusque excitat fidelitatem. Sua quidem ex parte praebet missionalis actuositas latos campos in quos multiplices vitae consecratae formae recipiantur.

Feminis porro consecratis et religiosis fratribus laicis et Institutorum saecularium participibus offert missio *ad gentes* peculiare ac singulare omnino opportunitates ut opus expleant, quod omnino sit efficax. Saecularia deinde Instituta, utpote quae variis in vocationis laicalis propriis regionibus adsint, partem magni momenti agere possunt in evangelizandis locis ac structuris ipsisque legibus quibus humana consortio regitur. Valent praeterea bona evangelica iuxta illos homines testificare, qui nondum Iesu adepti sunt cognitionem et sic propriam conferre utilitatem missioni.

Animadvertendum est eas apud nationes ubi radices egerunt non christianae religiones, summum accipere momentum vitae consecratae existentiam, simul per educationis caritatis humanitatis opera, simul per ipsum contemplativae vitae signum. Hanc maxime ob rem incitetur oportet novas inter Ecclesias constitutio communitatum contemplationi incumbentium, « cum ... vita contemplativa ad plenitudinem praesentiae Ecclesiae pertineat ». (325) Instrumentis dein congruis est promovenda aequabilis vitae consecratae partitio multiplicibus sub eius figuris, ut novus inde evangelizationis incendatur fervor, tum missis missionariis viris ac feminis, tum debito collato adiumento a vitae consecratae Institutis dioecibus egentioribus. (326)

CHRISTI NUNTIATIO ATQUE INCULTURATIO

79. Christi « nuntius principatum in missione tenet perennem »(327) in Ecclesia, et « ad christianam conversionem spectat, plenum nempe sincerumque obsequium erga Christum et eius Evangelium ». (328) Missionalia inter opera numerantur etiam inculturationis processus et inter religiones dialogus. Inculturationis provocationem recipere consecratae personae debent tamquam hortationem ad frugiferam cum gratia divina cooperationem in ipso concursu cum diversis cultus humani speciebus. De seria hoc coniecturam facit uniuscuiusque praeparatione dotibusque iudicii maturis nec non de fidei consensu cum necessariis doctrinalis orthodoxiae, veritatis et ecclesialis communionis praeceptis. (329) Fundatorum ac fundatricum auxiliante charismate, plures potuerunt consecrati homines ad varias culturas accedere cum ipso Iesu affectu qui « semetipsum exinanivit formam servi accipiens »(330) atque patienter audacterque ad dialogum nitentes frugiferam instituerunt cum maxime variis populis consortionem, salutis viam singulis nuntiantes. Quot ex iis etiam hodie in annalibus singulorum hominum populorumque integrorum quaerere detegereque noverunt praesentis Dei vestigia, qui ad salutiferae suae voluntatis diiudicanda signa universum dirigit hominum genus. Ipsi autem consecratis personis utilis comprobatur haec inquisitio: reperta enim apud diversos humanos civilesque cultus bona excitare in illis possunt ipsius Christianae contemplationis pervestigationem, communitariam participationem, hospitalitatem atque personarum observationem, tum etiam naturae ipsius curationem.

Ad veram inculturationem necessarij omnino sunt habitus sensibus Domini similes, cum incarnatus est et inter nos venit amanti demissoque animo. Hoc modo idoneas maxime reddit vita consecrata personas quae implicatum inculturationis laborem aggrediantur, quandoquidem aptas eas reddit ut a rebus disiungantur, immo vel a tot propriae culturae speciebus. His cum affectibus investigationi sese devoventes atque culturarum intellegentiae, melius in his distinguere valent consecrati vera bona nec non optimum modum ea complectendi et perficiendi suo proprio opitulante charismate. (331) Oblivisci tamen non licet antiquas apud multas culturas adeo ita funditus permisceri religionis significationes ut saepius culturae ipsius transcendentem rationem ipsa religio exprimat. Vera hic inculturatio necessario serium apertumque inter religiones dialogum prae se fert qui « non adversatur ipsi missioni *ad gentes* ... neque liberare ab evangelizationis officio ». (332)

VITAE CONSECRATAE INCULTURATIO

80. Ex se vita consecrata, quae per se ipsa evangelica bona infert, ubi authentice tenetur peculiare adiumentum afferre potest provocationibus inculturationis. Cum enim sit ea signum principatus Dei Regnique, fit ipsa incitatio, quae per dialogum hominum conscientiam movere potest. Si quidem servat vita consecrata prophetici impulsus suam propriam vim, quandam intra culturam evangelicam fit fermentum habens virtutem eam purificandi et evolvendi. Id nimirum multorum sanctorum sanctarumque fasti demonstrant, qui diversis aetatibus in temporum vices penitius se insinuarunt, iis tamen non sunt absumpti, immo novas semitas suis aevis patefecerunt. Evangelicae vitae ratio insignis est fons ad novum culturae exemplar exhibendum. Quot enim conditores conditricisque, quaedam sui temporis postulata intellegentes, tametsi nonnullis cum limitibus a se agnitis, illis occurrerunt responsione, quae res culturalis innovationis facta est exhibitio.

Religiosorum Institutorum religiosarumque nec non Societatum vitae apostolicae communitates enim certa et significantia culturalia proposita ministrare possunt, quando evangelicam rationem testantur vivendi in diversitate mutuam acceptionem atque exercendi auctoritatem, cum bonorum tum corporis tum animi communionem, internationalem mentem, inter congregationes sociatam operam, virorum mulierumque nostrae aetatis auditiones experiuntur. Ratio namque cogitandi vivendique illius qui Christum propius persequitur, *certam parit firmanque relationis culturam*, id quod contra hominem est collustrat, testificatur Deum unum bonis vim indere et completionem. Vera vicissim inculturatio efficiet ut personae consecratae evangelica praecepta radicitus teneant, ad cuiusque Instituti charisma adque illius populi ingenium quocum erit necessitudo. Hac e fertili congruentia vivendi genera effluent et pastorales rationes quae fieri poterunt germana opulentia toto pro Instituto, si quidem cum foundationis charismate et cum Spiritus Sancti congregante actione concinent. Hoc in processu, qui discretionem audaciaque constat, dialogo evangelicoque impulsu, recti itineris vindex erit Sancta Sedes, cui munus demandatur culturarum evangelizationem cohortandi eiusque progressus confirmandi et effecta, quae ad inculturationem spectant, sancienti;(333) « officium difficile est hoc magnaevae prudentiae, quia de fidelitate Ecclesiae ipsi Evangelio et Apostolica, Traditioni quaestionem ponit intra perpetuam culturarum progressionem ».(334)

NOVA EVANGELIZATIO

81. Ut apta ratione obviam procedatur provocationibus quas aetas nostra novae evangelizationi opponit, opus in primis est tali consecrata vita, quae a revelato Verbo continenter se patitur appellari nec non a temporum signis.(335) Magnorum virorum ac mulierum evangelizantium, qui clari prius fuerunt evangelizati, memoria docet, ut nostri temporis hominibus occurratur, necessarios esse homines Domino eiusque Evangelio amanter deditos. « Suapte vocatione propria moventur consecrati homines ut inter sui evangelizationem ac testificationem unitas compareat, inter renovationem interiorem ac fervorem apostolicum, inter existentiam atque actionem, dum clare demonstrant vividam semper vim ex priore binomii ullius profluere parte ».(336)

Haud secus atque consueta, evangelizatio nova tum efficax erit cum ex tectis pronuntiare valebit quaecumque in intima cum Domino consortione prius erunt experta. Ad hanc igitur solida flagitantur ingenia sanctorum ardore incensa. A consecratis virus feminisque postulat nova evangelizatio *plenam theologici sensus conscientiam provocationum aetatis nostrae*. Haec postulata ponderentur oportet a diligenti unanimique iudicio, unde missio ipsa renovetur. In Domino Iesu annuntiando fortitudinem comitari debet fiducia de Providentiae actione, qui in mundo « omnia, adversos etiam humanos casus, in Ecclesiae bonum sapienter » disponit.(337)

Ut in novae evangelizationis processum fructuose Instituta immittantur, magni ponderis partes agunt fidelitas erga fundatoris charisma, cum iis coniunctio qui eidem in Ecclesia operi sese devovent, praesertim cum Pastoribus, atque adiutrix opera cum hominibus cunctis bonae voluntatis consociata. Id secum fert ut Spiritum intellegamus unumquodque Institutum rogantem, sive illis in regionibus ubi magni progressus extemplo non prospiciuntur, sive in aliis regionibus, ubi feliciter res restitui praenuntiatur. Omnibus in locis rerumque adiunctis ardentibus sint personae consecratae Dominum Iesum nuntiatrices, conditorum conditricumque menti fideles, paratae ad respondendum cum sapientia postulatis evangelicis quae ex inquieto hominis corde eiusque impellentibus necessitatibus oriuntur.

STUDIUM ET AMOR PRO PAUPERIBUS ATQUE IUSTITIAE PROMOTIO

82. Sui ministerii principio, Nazarethana in synagoga, proclamat Iesus se a Spiritu esse consecratum ut pauperibus evangelizet, captivis remissionem praedicet, caecis visum restituat, contractos in remissione dimittat, annum Domini acceptum praedicet.(338) Ecclesia in se recipiens Domini missionem, Evangelium singulis viris feminisque enuntiat, in se ex toto onus suscipiens eos servandi. Sed peculiari cum studio, vero « dilectu potiore », se convertit ipsa ad eos qui *in debiliore condicione versantur*, ideoque graviore in necessitate. « Pauperes » multiplicibus in paupertatis rationibus, sunt oppressi, vitae segreges, senes, aegroti, parvuli; quotquot denique in societate « infimi » habentur et considerantur.

Inest dynamicae ipsi virtuti amoris, qui secundum Christum vivitur, haec pro pauperibus optio. Ea igitur omnes obstringuntur Christi discipuli; qui vero propius sectari Dominum cupiunt eius imitantes habitus, non possunt quin se singulariter omnino implicari eadem re se sentiant. Eorum ex animo responsio amoris Christi eos impellit ut pauperum more vivant pauperumque causam suscipiant. Hinc cuique Instituto necesse est ad proprium charisma *vitae genus demissum austerumque sibi asciscere*, tam in singulis sodalibus quam universa in communitate. Viva hac testificatione sustentati homines consecrati, rationibus suae vitae electioni congruis atque animis ab omni politica ideologia liberis, iniurias condemnare poterunt quae in tot filios filiasque Dei patrantur atque se iustitiae provehendae vovere iis in socialibus rerum adiunctis ubi operantur.(339) Sic hodiernis etiam in condicionibus per innumerabilium consecratarum personarum testimonium repetetur illa fundatorum ac fundatricum propria deditio, qui suam vitam impenderunt ut inter pauperes deversanti Domino famularentur. Namque Christus « hic est egens in pauperibus suis... Tamquam Deus dives, tamquam homo pauper. Iam et ipse homo dives ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris: adhuc tamen hic pauper esurit, sitit, nudus est ».(340)

Evangelium per caritatem operatur, quae Ecclesiae est gloria eiusque fidelitatis erga Dominum signum. Cuncta vitae consecratae historia id demonstrat, quae videlicet vivens Iesu verbi explicatio considerari potest: « Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis ».(341) Complura Instituta, recentioribus

potissimum temporibus, idcirco exstiterunt ut pauperum tum his tum illis necessitatibus subvenirent. At etiam cum propositum hoc non est consulto constitutum, cura et sollicitudine pro pauperibus, quas precatio, acceptio, hospitalitas significant, suapte natura cum variis generibus vitae consecratae sunt copulatae, etiam cum contemplativae vitae formis. Quo pacto aliter fieri potest, quandoquidem Christus, qui contemplatione attingitur, idem est qui in pauperibus vivit et patitur? Vitae consecratae historia ditata est, hac in re, claris ingeniosisque interdum exemplis. Sanctus Paulinus Nolanus, qui sua pauperibus dederat bona ut totus se Domino consecraret, sui monasterii cellas supra quoddam hospitium egenis destinatum aedificavit. Laetabatur ipse hanc « donorum reciprocationem » cogitans: pauperes enim quos ille colebat, sua precatione ipsius domus « fundamenta » firmabant, Dei laudi penitus dicatae.(342) Dictitabat, sua ex parte, sanctus Vincentius a Paulo: quotiescumque aliquis cogitur a precibus secedere ut pauperi necessitate quadam adstricto subveniat, re vera preces non infringuntur, quia « Deus pro Deo relinquitur ».(343)

Pauperibus servire actus est evangelizationis eodemque tempore evangelicae fidelitatis sigillum nec non ad perpetuam conversionem vitae consecratae incitamentum, quia - ut ait sanctus Gregorius Magnus - « ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit; et quo benigne descendit ad infirma, valenter recurrit ad summa ».(344)

AEGROTORUM CURA

83. Praeclaram persequens consuetudinem, magna consecratarum personarum multitudo, mulierum potissimum, suum apostolatam in sanitatis locis ad cuiusque Instituti charisma agunt. Saeculorum processu multae fuerunt consecratae personae quae *vitam suam impenderunt* in deservendum fratribus morbis contagione vulgatis correptis, demonstrantes deditioem usque ad heroicum modum pertinere ad vitae consecratae prophetica indolem.

Admirans gratiasque referens tot homines consecratos respicit Ecclesia qui aegrotantibus patientibusque assidentes plurimum missionis suae conducunt. Christi enim misericordiae propagant ministerium qui « pertransivit benefaciendo et sanando omnes ».(345) Vestigiis Eius, uti Samaritani divini medicique animorum et corporum,(346) ingredienti atque ex suorum fundatorum ac fundatricum exemplis, consecratae personae, quas iam proprii Instituti dirigit charisma, sua perseverare debent in amoris testificatione erga infirmos quibus se permagna affectione communicationeque dedant. Suis praeterea in consiliis praecipuo iure prosequantur languentes indigentiores magisque derelictos perinde ac senes et impeditos, exclusos et aegrotos insanabiles, medicamentis ac morbis novis obnoxios. In infirmis provehant dolorum priorum oblationem per consociationem cum Christo cruci affixo et in omnium salutem glorificato,(347) immo in illis conscientiam augeant eos esse ex ipsa oratione et verbi morumque testificatione *actuosa pastoralis operae subiecta* per peculiare crucis charisma.(348)

Commonefacit insuper Ecclesia consecratos consecratasque ad eorum pariter missionem pertinere *evangelizationem sanandis aegris locorum*, ubi operam navant, dum simul communicandis Evangelii bonis rationem vivendi patiendi moriendique hominum nostrae aetatis illuminare nituntur. Eorum etiam muneris est incumbere ad humaniorem medicinam artem reddendam nec non ad disciplinam bioethicam altius investigandam pro ministerio Evangelii vitae. Quapropter observantiam in primis personae ac vitae humanae a conceptione ad finem usque naturalem propugnent, plane consentientes cum morali Ecclesiae doctrina,(349) huius rei gratia sedes institutionis excitantes(350) et fraterno animo cum aliis ecclesialibus institutis operae pastoralis pro sanitate cooperantes.

II

Propheticum coram magnis provocationibus testimonium

VITAE CONSECRATAE PROPHETAE OPUS

84. A Patribus synodalibus vehementer prophetica elata est consecratae vitae indoles. Fingitur enim ipsa veluti *singularis quidam modus participandi propheticum Christi officium* quod cum universo Dei Populo Spiritus communicat. Hoc prophetae opus vitae consecratae insitum est qua tali propter radicalem sequelae Christi naturam indeque proficiscentem deditioem ipsi missioni qua signatur. Partes quidem signi, quas consecratae vitae Concilium Vaticanum II assignat,(351) testificatione prophetica declarantur de illo principatu quem Deus atque Evangelii bona occupant in vita christiana. Ob tale enim primatum nihil anteferri potest singulari amori in Christum ac pauperes in quibus Ille vivit.(352)

In Elia, animoso propheta Deique amico, Ecclesiae Patres vitae religiosae monasticae exemplar conspexerunt.(353) Coram Deo ille vixit atque tacitus intuitus est ipsius transitum, pro populo intercessit eiusque fortiter voluntatem praedicavit, Dei iura defendit atque in pauperum tutelam insurrexit contra mundi huius potentes.(354) In Ecclesiae historia, iuxta ceteros christianos viri mulieresque Deo sacrati non defuerunt, qui, singulari ex spiritus munere, verum propheticum expleverunt ministerium, Dei nomine omnibus loquentes atque etiam ipsis Ecclesiae Pastoribus. *Ex Deo vera oritur prophetia*, ex amica cum Eo coniunctione, ex intenta Verbi eius auditione variis in historiae eventibus. Suo in pectore fervere percipit propheta ardens de Dei sanctitate studium, et cum verbum in ipso orationis dialogo semel suscepit, id vita sua et labiis gestibusque proclamat, se Dei interpretem exhibens contra malum et peccatum. Assiduam fervidamque Dei voluntatis inquisitionem postulat prophetica testificatio, magnanimam ac necessariam Ecclesiae communionem, exercitationem spiritualis

discretionis nec non veritatis amorem. Profertur etiam eorum repudiatione quae divino arbitrio obsistunt novarumque viarum investigatione, unde in historia Evangelium ad effectum perducatur proposito Dei Regno.(355)

IPSIUS PONDUS AD NOSTRI TEMPORIS HOMINES

85. Nostro in orbe, ubi saepius amissa videntur Dei vestigia, valida depositur prophetica testificatio ex consecratis personis. Ante omnia *in Dei principatu affirmando versabitur bonorumque venturorum*, prout ex sequela et imitatione elucet Christi casti pauperis et oboedientis, omnino Patris gloriae dediti nec non fratrum ac sororum amori. *Prophetia* iam est ipsa fraterna vita *agens* in societate quae, licet huius rei sibi nonnumquam non sit conscia, valde desiderat fraternitatem sine finibus. Proprium erga charisma fidelitas consecratis incitat personas ut omni loco excellens reddant testimonium cum peculiari candore prophetae qui neque vitam periculo obicere dubitat.

Praecipua vero persuadendi vis prophetiae additur ex *congruentia inter nuntium ac vitam*. Suo in Ecclesia et mundo muneri fideles erunt consecratae personae, si sincere valebunt sine intermissione recognoscere se ipsas ad Verbi Dei lumen.(356) Hoc proinde modo locupletare poterunt ceteros fideles charismaticis bonis receptis, dum vicissim se permoveri sinent prophetis provocationibus ex aliis Ecclesiae partibus orientibus.

His in permutatis donis, ubi *plena consensio cum Magisterio ac disciplina Ecclesiae* praestatur, Spiritus actio effulgebit qui illam « in communione et ministracione unificat, diversis donis hierarchicis et charismaticis instruit ac dirigit ».(357)

AD MARTYRIUM USQUE FIDELITAS

86. Hoc saeculo haud secus atque ceteris historiae aetatibus, homines consecrati mulieresque *suae vitae dono* Christo Domino testimonium tribuerunt. Aliquot milia sunt qui vexatione regiminum absolutorum vel coetuum acerborum in catacumbas compulsi, impugnati in eorum missionali industria, in operibus pro egenis, in aegrorum et exclusorum curatione, suae consecrationis plenitudinem compleverunt et complent in dolore continuato et heroico saepiusque proprio fuso sanguine funditus Domino cruci affixo conformati. Quibusdam illorum iam publica auctoritate sanctitatem adscripsit Ecclesia eos uti Christi martyres honorans. Suis exemplis nos collustrant, pro nostra fidelitate preces interponunt opperianturque nos in gloria.

Vehementer quidem optatur ut tot testium recordatio in Ecclesiae conscientia persistat tamquam ad celebrationem imitationemque invitamentum. Ad hoc opus consecratae vitae Instituta vitaeque apostolicae Societates conferant *nomina ac testimonia colligentes* omnium consecratorum hominum qui digni sunt qui in vicesimi saeculi Martyrologium inscribantur.(358)

MAGNAE VITAE CONSECRATAE PROVOCATIONES

87. Propheticutn munus consecratae vitae illicitur *tribus praecipuis provocationibus* Ecclesiae ipsi intentis: sempiterna sunt quidem officia quae tamen novis sub formis proponuntur atque etiam fortasse severioribus, a nostri temporis societate, saltem quibusdam in orbis regionibus. Tangunt ipsa recta via paupertatis castitatis et oboedientiae consilia evangelica, dum Ecclesia simul atque particulatim personas consecratis incitant ut in lucem proferant eorumque *altum sensum anthropologicum* testentur. Horum enim consiliorum electio tantum abest ut bona reapse humana minuatur ut, contra, se tamquam eorum transformationem exhibeat. Non sunt consilia evangelica habenda velut negatio bonorum in sexus usu insitorum neque in legitima voluntate res possidendi aut de se libere decernendi. Hae inclinationes, quippe quae naturae innitantur, ex se bonae quidem sunt. Humana tamen natura, peccato originali sauciata, periculo exponitur ne illas ad effectum illegitime traducat. Castitatis paupertatis oboedientiae professio admonitio fit ne a peccato originali vulnera inducta subaestimentur, atque bonorum creatorum momentum quidem affirmans, *illa relativa reddit* Deum indicans uti bonum absolutum. Ita profecto consilia sectantes evangelica, dum sanctimoniam sibi persequuntur, proponunt ipsi, ut ita dicatur, pro hominum genere « spiritali curationem », quandoquidem idololatriam rerum creaturarum repudiant et Deum vivum quadamtenus visibilem praestant. Vitae humanae atque ipsi etiam ecclesiali vitae benedictio vita consecrata est, praesertim difficilioribus temporebus.

CASTITATIS CONSECRATAE PROVOCATIO

88. *Provocatio prima* exoritur e *cultura voluptuaria* quae ab omni obiectiva morali norma sexus usum dissolvit, quem saepius in lusum ac fructum redigit, dum cuidam instinctus idololatriae indulget, conspirantibus communicationis socialis instrumentis. Huius condicionis consecraria omnium oculis apparent: omnium generum violationes quas innumeri dolores animi et mentis tum in singulis hominibus tum in familiis comitantur. *Respondet* consecrata vita praesertim *castitatem perfectam laetanter exsecuta* veluti testificationem potentiae amoris Dei in humanae condicionis infirmitate. Testatur consecrata persona quod fieri non posse creditur a pluribus, adiuvante Domini Iesu gratia, effici posse, ac revera homines liberare. Ita, in Christo amare quis Deum toto corde potest, illum omni alii amori praepone, atque ita cum Dei libertate omnem amare creaturam! Hodie magis quam alias umquam necessaria est haec testificatio idcirco quod tam paulum ab hodiernis hominibus comprehenditur. Omnibus hominibus ipsa praebet - iuvenibus et sponsis, coniugibus et christianis familiis - ut comprobetur *amoris Dei vim magna patrare posse* omnino inter amoris humani fortunas. Testificatio haec pariter crescenti satisfacit necessitati interioris cuiusdam perspicuitatis in hominum necessitudinibus.

Vitam consecratam ostendet oportet nostrae aetatis hominibus castitatis exempla quam viri ac feminae vivant in se aequabilitatem demonstrantes et sui dominationem, alacritatem rerum gerendarum et psychologiam affectivamque maturitatem.(359) Ob hoc testimonium humanum amori additur certum directionis punctum quod consecrata persona attingit trinitarium amorem contemplan in Christo revelatum. Quandoquidem in hoc mergitur mysterio eadem persona sibi videtur ad extremum universumque amorem idonea, qui virtutem ei tribuit dominatus in se nec non disciplinae necessariae ne in sensuum instinctuumque incidat servitutum. Sic laetitiae libertatisque experientia videtur consecrata castitas. Fide in resuscitatum Dominum illuminata nec non caelorum novorum ac terrae novae exspectatione(360) praetiosas praestat impulsiones pro educatione ad castitatem debitam in aliis quoque vitae statibus.

PAUPERTATIS PROVOCATIO

89. *Secunda provocatio* hodie ex *materialismo possidendi avido nascitur*, qui necessitates doloresque debiliorum negligit atque omni caret observantia erga copiarum naturalium aequilibratam. Ei contra *respondet* vita consecrata quae *paupertatem evangelicam* proficitur diversis impletam rationibus quamque saepius comitatur actiosa solidaritatis caritatisque provehendae opera.

Educationi et institutioni ad vitae munus quot sese devovent Instituta, idoneos dum iuvenes atque etiam seniores efficiunt ut venturae suae aetatis ipsi actores primarii evadant! Quot consecrata homines se consumunt neque viribus parcent pro imis terri incolis! Quot praeterea ex iis operam dant ut futuri magistri atque vitae sociales auctores ita conformentur ut amovere opprimentes structuras velint atque studere eodem tempore promovere pro pauperibus solidaritatis operam! Ut fames vincatur eiusque causae illi nituntur, incepta voluntariorum incitant et humanorum auxiliorum instituta, conscia reddunt publica privataque officia ut subsidiorum internationalium aequae partitioni faveant. Plurimum revera nationes referre debent his audacibus caritatis opificibus viras ac feminis, qui indefessa sua liberalitate permultum iam contulerunt et conferunt ad totum orbem humaniorem constituendum.

EVANGELICA PAUPERTAS IN PAUPERUM MINISTERIUM

90. Re quidem vera priusquam pauperibus deserviat, iam *in semet paupertas evangelica bonum ipsa est*, quandoquidem primam omnium Beatitudinum in Christi pauperis imitatione recolit.(361) Primum enim eius officium est Deum testificari uti veras cordis humani divitias. At idcirco hanc ob causam vehementer omnino cultum mammonae denuntiat se ponens tamquam propheticam appellationem ante illam societatem quae in tot orbis opulentioribus partibus in periculo est ne moderationis sensum amittat ipsamque rerum significationem. Ea de causa hodie magis quam antehac respicitur eius admonitio etiam ab iis qui, intellegentes huius orbis opes copiasque circumscribi, rerum creaturarum observantiam invocant et custodiam per minorem rerum consummationem, per sobrietatem atque iniunctionem necessariorum frenorum cupiditatibus singularibus.

Ab hominibus consecratis petitur igitur renovata ac concitata evangelica testificatio abnegationis et sobrietatis intra genus quoddam vitae fraternae quae simplicitatis et hospitalitatis normis gubernetur, etiam uti illis omnibus exemplum qui ad proximorum necessitates se indifferentes gerunt. Comitabitur nimirum hoc testimonium *potissimum pro pauperibus amor* declarabiturque illud insigniter participatione ipsa vitae condicionum in quibus versantur maxime destituti. Non paucae communitates vivunt et agunt inter egenos atque exclusos, quorum complectuntur statum, coniunctimque dolores pericula difficultates patiuntur.

Proximi sunt annales contexti evangelica solidaritate et heroica deditione consecratorum hominum, his potissimum annis altarum in orbe conversionum atque iniuriarum magnarum, spei ac deceptionum, praestantium victoriarum ac tristium calamitatum. Nec minus praestantes sunt conscriptae paginae et adhuc conscribuntur ab innumerabilibus consecratis personis a quibus plene propria ducitur vita « abscondita... cum Christo in Deo »(362) ad mundi salutem sub signo gratuita operae et propriae vitae in causis collocatae parum cognitae minusque etiam laudatis. Has per multiplices formas et inter se complentes, particeps est consecrata vita maxime paupertatis Domini ipsius suumque proprium explet munus in salutifero incarnationis Eius mysterio nec non redemptricis mortis.(363)

LIBERTATIS PROVOCATIO IN OBOEDIENTIA

91. Ab illis *libertatis notionibus* profluit *tertia provocatio* quae principalem hanc humanam proprietatem de necessaria ipsius subtrahunt coniunctione cum veritate regulae morali.(364) Revera libertatis cultus solidum est bonum quod penitus cum personae humanae observantia sociatur. Quis est quin percipiat ad quae enormia iniustitiae, quin immo et violentiae consecraria in singulorum hominum populorumque vita perversus libertatis perducatur abusus?

Effaciter tamen huic rei *oboedientia respondet, qua consecrata vita distinguitur*. Oboedientiam enim Christi erga Patrem vivo maxime modo illa revocat, atque ab eius proficiscens mysterio testatur *inter se oboedientiam ac libertatem haud pugnare*. Etenim Filius ipse affectus recludit libertatis humanae arcanum veluti oboedientiam iter voluntati Patris ipsumque oboedientiae mysterium tamquam iter progredientis consecutionis verae libertatis. Hoc ipsum mysterium cupit persona consecrata nominatim suo hoc voto indicare. Eo etiam declarare vult conscientiam filialis necessitudinis, ex qua Patris voluntatem amplectitur velut cibum cotidianum,(365) suam ut firmitudinis petram, suam laetitiam, firmamentum suum et refugium.(366) Praeterea crescere se demonstrat

plena in veritate de se, dum usque colligatur cum suae existentiae origine, perindeque maximae consolationis praebet nuntium: « Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum ».(367)

PATRIS VOLUNTAS SIMUL PERFICIENDA

92. Vim omnino peculiarem haec hominum consecratorum testificatio in vita religiosa prae se fert etiam *ob communitariam rationem* qua signatur. Locus enim praecipuus est fraterna vita ubi Dei voluntas discernatur et recipiatur atque iunctis mentibus animisque simul procedatur. Caritate quidem animata oboedientia, alicuius Instituti sodales in eodem coniungit testimonio eodemque in opere, quantumvis donorum subsit varietas atque singulorum propria observetur indoles. Intra fraternitatem a Spiritu concitatum cum ceteris quisque magni pretii agit dialogum ut Patris detegatur voluntas universique agnoscunt in ipsis praesidentibus paternitatis Dei declarationem nec non exercitationem auctoritatis ab Eo receptae ad discretionis et communionis utilitatem.(368) Communitatis vita insuper signum potissimum est ante Ecclesiam ac societatem illius vinculi quod ex illa vocatione procedit communique voluntate eidem vocationi oboediendi, ultra omnem differentiam stirpis et loquelaе et culturae. Adversus dissensionis divisionisque animum effulgent auctoritas et oboedientia demonstrationis instar illius unius paternitatis a Deo exorientis, fraternitatis ex Spiritu nascentis, interioris libertatis eius qui Deo confidit praeter humanos limites eorum qui Dei vices gerunt. Hanc per oboedientiam, quam uti vitae regulam aliqui suscipiunt, percipitur atque profertur in omnium commodum ea beatitudo a Iesu illis promissa « qui audiunt verbum Dei et custodiunt ».(369) Praeterea qui oboedit se certo novit in missione consistere, Dominum nempe sequentem non vero ad suas decurrentem cupiditates propriasve exspectationes. Ita profecto cognosci licet se a Domini Spiritu duci atque magnas etiam inter difficultates manu eius firma ac paterna sustineri.(370)

ANIMOSUM SPIRITALIS VITAE OFFICIUM

93. Inter saepius prolatas in Synodo curas sollicitudo fuit illa de vita consecrata *spiritualitatis solidae altaeque fontibus* enutrita. De principali, re vera, agitur postulato quod in ipsa vitae consecratae essentia inscribitur quoniam, perinde ac alius omnis baptizatus, immo ob graviore etiam causas, qui consilia profitentur evangelica oportet omnibus viribus ad caritatis perfectionem contendant.(371) Hoc officium innumeris sanctorum conditorum ac conditicum totque consecratarum personarum exemplis evocatur, qui Christo fidelitatem usque ad martyrium sunt testificati.

Ad sanctimoniam contendere: haec summa est normarum omnis consecratae vitae illo etiam in prospectu eius renovationis iamiam tertio appropinquante millennio. Inde autem proficiscitur haec vitae ratio, quod quis pro Christo omnia deserit.(372) Illum ceteris rebus cunctis antepone, ut Ipsius particeps plane evadat mysterii Paschalis.

Perbene illud intellexerat Paulus cum exclamavit: « Existimo omnia detrimentum esse propter eminentiam scientiae Christi Iesu... ad cognoscendum Illum et virtutem resurrectionis Eius ».(373) Iam principio ab Apostolis haec via est designata, quam admodum christiana et Orientis et Occidentis traditio commemorat: « Qui nunc ipsum Iesum sectantur omnia pro Illo relinquentes, in memoriam ipsos Apostolos revocant qui ei invitanti respondentes cetera universa repudiant. Quapropter translaticio more vita religiosa *apostolica vivendi forma* dicitur ».(374) Haec eadem etiam traditio in vita consecrata naturam extulit peculiaris foederis cum Deo, immo vero sponsalis pacti cum Christo cuius Paulus ipse fuit magister suo exemplo(375) suoque magisterio quod ducente Spiritu est propositum.(376)

Vitam spiritalem, uti vitam in Christo acceptam vitamque item secundum Spiritum, dicere possumus veluti iter fingi fidelitatis usque crescentis in qua consecrata persona a Spiritu dirigitur Christoque conformatur plane coniuncta amore ministerioque Ecclesiae.

Haec omnia, quae in solidam formam variarum consecratae vitae figurarum transierunt, *singularem spiritualitatis modum* pariunt, certum nempe propositum coniunctionis cum Deo cumque ambitu universo quae propriis spiritualibus rationibus signatur nec non operandi consiliis, quae modo hoc modo illud unius Christi mysterii latus illuminant atque repraesentant. Cum quandam vitae consecratae formam agnoscit Ecclesia aut Institutum, fidem facit eius in spiritali apostolicoque charismate omnes necessarias reperiri partes ut evangelica singulorum ipsiusque communitatis perfectio attingatur.

Primo igitur loco collocetur oportet spiritalis vita in toto consilio vitae consecratae Familiarum, ut quodque Institutum et communitas se veluti exhibeant scholas verae spiritualitatis evangelicae. Hac ex primaria electione, quam singulare cuiusque officium communitatisque effecit, fecunditas apostolica pendet nec non magnanimitas in pauperum amore tum etiam invitatio ad vocationes inter posteras generationes. Haec omnino *spiritalis vitae consecratae proprietates* percillere valet nostrae aetatis homines, qui et ipsi bona concupiscunt absoluta, dum in afficientem eos convertit testificationem.

VERBUM DEI EXCIPIENTES

94. Primus omnis spiritalis christianae fons est Dei Verbum. Cum Deo vivente singularem necessitudinem ipsa alit cumque eius salutifera voluntate et sanctificante. Qua de causa iam ab ipso vitae consecratae Institutum ortu, maxime vero monasticae vitae, plurimi aestimata est semper *lectio divina*. Eius quidem beneficio transit Dei Verbum in vitam supra quam lumen iacit sapientiae quae Spiritus est munus. Licet omnis Scriptura sit « utilis ad docendum »(377) atque « vitae spiritalis fons purus et perennis »,(378) Novi tamen Testamenti scripta,

cum primis Evangelia, sunt singulariter veneranda, quae « sunt cor omnium Scripturarum ». (379) Personis itaque consecratis plurimum proderit suam in perpetuam meditationem destinare evangelicos locos nec non reliqua Novi Testamenti scripta, quae Christi Virginisque Mariae verba atque exempla collustrant nec non *apostolicam vivendi formam*. Ad ea continenter fundatores et fundatrices sese revocaverunt vocationes accipientes et charisma munusque sui Instituti discernentes.

Magnae praeterea utilitatis est *communitaria Bibliorum ponderatio*. Secundum facultates vitaeque communitatis condiciones peracta ipsa ad laetificam perducit communicationem illarum divitiarum quae ex Dei Verbo hauriuntur et ob quas fratres sororesque simul crescunt et inter se adiuvant ut in spiritali progrediantur vita. Decet immo hanc proponi consuetudinem aliis etiam Populi Dei membris, presbyteris et laicis, consentaneis proprio charismati modis scholas provehendo orationis, spiritualitatis et lectionis precationis Scripturarum, in qua Deus « homines tamquam amicos alloquitur (380) et cum eis conversatur (381) ut eos ad societatem Secum invitet in eamque suscipiat ». (382)

Ex Verbi Dei ponderatione ac potissimum Christi mysteriorum, quem admodum spiritalis docet traditio, oriuntur contemplationis maior vis atque apostolicae actionis ardor. Tum in religiosa vita contemplativa tum etiam in apostolica, opera magna semper effecerunt viri ac mulieres precationi vacantes voluti veri Dei voluntatis interpretes atque executores. Ex Dei Verbi celebratione necessariam hauserunt lucem ad illam prudentiam singularem atque communitariam unde adiuti sunt ut in temporum signis vias Domini conquirerent. Ita sibi *genus quasi quoddam supernaturalis instinctus* sunt adepti, per quem licuit non se accommodare ad saeculi mentem, verum suum renovare animum ut Dei voluntatem dispicerent, quod ei est « bonum et bene placens et perfectum ». (383)

IN COMMUNIONE CUM CHRISTO

95. Praecipuum vero instrumentum quo cum Domino alitur efficaciter coniunctio est sine dubitatione *liturgia sacra*, at potissimum eucharistica Celebratio nec non Liturgia Horarum.

Ante omnia « in Sanctissima... *Eucharistia* totum bonum spirituale Ecclesiae continetur ipse scilicet Christus Pascha nostrum panisque vivus per Carnem suam Spiritu Sancto vivificantem vitam praestans ». (384) Quod in ecclesiali vita est cor idem profecto etiam in consecrata vita. Quo pacto persona per consiliorum evangelicorum professionem vocata ad Christum eligendum uti unicum vitae suae sensum non cuperet non inire cum Eo altiore usque necessitudinem per cotidianam illius Sacramenti participationem quod eum reddit praesentem, illius sacrificii quo amoris donum in Calvariae loco praestitum completur, tandem convictus qui Dei populum peregrinantem nutrit et sustinet? Suapte natura medium vitae consecratae locum obtinet Eucharistia, ut pro singulis sodalibus ita pro communitate. Viaticum cotidianum est spiritalitatisque fons singulis membris et universo Instituto. In ea destinatur unusquisque consecratus ut paschale Christi vivat mysterium utque cum Eo se consociet propriam Patri offerens vitam per Spiritum. Assidua et diuturna Christi in Eucharistia praesentis adoratio iterari sinit quadamtenus Petri experientiam in Transfiguratione: « Bonum est nos hic esse ». Celebrando autem Corporis et Sanguinis Domini mysterium unitas et caritas confirmantur et augentur eorum qui suam Deo devoverunt vitam.

Secundum Eucharistiam, atque arte cum ea cohaerens, *Liturgia Horarum* sive in communitate celebrata sive pro cuiusque Instituti natura singillatim, coniuncta cum totius Ecclesiae precatione, vocationem etiam illuminat ad laudem et intercessionem quae consecratarum personarum est propria.

Intimum ad eandem Eucharistiam vinculum indicat etiam officium perpetuae conversionis ac necessariae emendationis quas in *Reconciliationis sacramento* consecrati homines perficiunt. Per crebrum hunc cum Dei misericordia congressum purgant renovantque cor suum, et per humilem peccatorum confessionem illustrant sui coniunctionem cum Eo; laetifica condonationis sacramentalis experientia in communi fratrum ac sororum itinere docilem reddit animum et ipsum officium ad maiorem usque fidelitatem incitat.

Permagno auxilio ut quis in Evangelii via progrediatur, praesertim formationis tempore aliisque praestantioribus vitae momentis, est fidens et humilis usus *consultationis spiritalis* per quam adiuvatur persona ut Spiritus motibus alacriter respondeat et ad sanctitatem firmiter se dirigat.

Universos denique cohortamur consecratos homines ut secundum proprias traditas consuetudines, cotidie cum Virgine Maria spiritalem communionem renovent cum eaque Filii mysteria, praesertim *Sanctum Rosarium* recitantes, denuo percurrant.

III

Quidam missionis areopagi

IN EDUCATIONIS PROVINCIA PRAESENTES

96. Semper intellexit Ecclesia *educationem esse muneris sui partem necessariam*. Ipsius interior Magister est Spiritus Sanctus qui recessus maxime impervios animi cuiusque hominis pervadit arcanamque historiae actionem novit. A Spiritu universa animatur Ecclesia quocum suum procurat educandi opus. Attamen intra Ecclesiam peculiare hac in re officium ad personas attinet consecratas, quae admonentur ut in educationis rationem testimonium extremum bonorum Regni inserant, quae singulis proponuntur hominibus novissimam cum historiae Domino congressionem praestolantibus. Suam ob singularem consecrationem perque Spiritus donorum propriam experientiam, propter sedulam Verbi auditionem et iudicii exercitationem, propter copiosum

traditionum educationis patrimonium per aetates a proprio Instituto collectum, ob altiore veritatis spiritalis cognitionem,(385) valent quidem consecratae personae educandi actionem insigniter efficacem peragere, simul etiam propria adiumenta inceptis aliorum educatorum et educatricum addentes.

Hoc charismate praemuniti vitam addere possunt sedibus educationis evangelico libertatis caritatisque animo imbutis, ubi adulescentes adiuventur ut, duce Spiritu, in humanitate ipsa crescant.(386) Hoc quidem modo educans communitas communionis ipsius experientia evadit atque gratiarum locus, ubi paedagogicum opus operam dat consociandis in summa consentanea rebus humanis et divinis, Evangelio et cultura, fide et vita.

Inde a prisca aetate ad nostros usque dies abundant Ecclesiae annales mirabilibus hominum consecratorum exemplis qui vixerunt et adhuc vivunt contentionem illam ad sanctitatem per ipsum paedagogicum officium, uti educationis metam eodem tempore sanctitatem proponentes. Complures enim eorum educando attigerunt caritatis perfectionem. Donorum excellentium unum hoc est quae hodie quoque iuvenibus praebere valent consecratae personae eam etiam argumentum constituentis operis paedagogici amore abundantis, secundum sapientem sancti Ioannis Bosco monitionem: « Ne diligantur modo adulescentes, verum diligi se etiam intellegant ».(387)

RENOVATI HAC IN EDUCATIONIS REGIONE OFFICII NECESSITAS

97. Iungentes diligentem observantiam cum missionali fortitudine ostentent consecrati consecrataeque fidem de Iesu Christo totum educationis collustrare campum, non minuentem sed contra confirmantem atque extolentem ipsa humana bona. Hoc modo se testes ac potentiae Incarnationis virtutisque Spiritus praestant administratos. Eorum hoc officium inter significantiores invenitur illius maternitatis declarationes quam, ad Mariae speciem, cunctos erga filios suos filiasque exercet Ecclesia. (388)

Idcirco graviter est cohortata Synodus personas consecratas ut novo studio, ubi fieri quidem potest, educandi denuo suscipiatur munus per omnis generis ordinisque scholas, Studiorum Universitates et superiora Instituta.(389) Nostram huc adiungentes synodalem sententiam, vehementer

Institutorum educationi devotorum cohortamur sodales ut fideles charismati suo pristino persistent suisque traditionibus, conscii nempe sibi amorem pauperibus potius faventem insigniter adhiberi ad apta eligenda instrumenta unde a gravi illa miseriae forma homines liberentur, quae est efformationis culturalis religiosaeque lacuna.

Concesso singulari pondere quod in educationis et evangelizationis provincia prae se ferunt Studiorum Universitates ac Facultates catholicae et ecclesiasticae, Instituta quae illas administrant suorum meminerint officiorum atque in illis efficient ut, dum actuoso modo diverbium cum praesentibus cultus humani condicionibus tractatur, propria catholica indoles adservatur secundum plenam Ecclesiae Magisterio fidelitatem. Praeterea secundum rerum adiuncta parati sint horum Institutorum ac Societatum sodales ut in ipsas educationis structuras apud civitates saeculares ingrediantur. Quod ad opus, praesertim ob peculiarem eorum vocationem, invitantur saecularium Institutorum participes.

EVANGELIZANDA CULTURA

98. Penmagnum effectum semper habuerunt vitae consecratae Instituta ad componendum tradendumque humanitatis cultum. Hoc media aetate evenit, cum coenobia loca facta essent ubi ad cultus divitias praeteritorum temporum accedebatur et nova humana et christiana contexebatur cultura. Hoc vere contigit quotiens in novas nationes culturaeque formas penetravit Evangelii lumen. Culturam plurimae consecratae personae provexerunt saepiusque pervestigaverunt et defenderunt nativas populorum culturas. Necessitas dandi operam ad cultum humanum provehendum nec non inter culturam ac fidem dialogum hodie animadvertitur ab Ecclesia quam maxime.(390)

Hac necessitate non possunt consecrati homines quin se provocari sentiant. Etiam illi in Verbo Dei annuntiando monentur ut rationes discernant magis idoneas complendis diversorum hominum coetuum postulatis et ubicumque pro munere artes factitantur, ut omnem vitae humanae Christi lux locum pervadat utque salutis fermentum consortionem socialem intrinsecus transfiguret dum adiuvat ut cultura bonis evangelicis perfusa se efferat.(391) Etiam hoc perfungens opera poterit consecrata vita ineunte iamiam tertio millennio christiano suam confirmare congruentiam cum Dei voluntatibus qui cunctis hominibus obviam prodit qui conscio vel inconscio modo tamquam pedetemptim Veritatem ac Vitam conquirunt.(392)

Verum praeter ministerium aliis praebitum etiam intra consecratam vitam opus est *renovato quodam amore pro culturali officio*, animo studiis debito tamquam instrumentis totius formationis atque viis asceticis, maxime hoc tempore necessariis, coram communicationibus multiplicis culturae. Imminutum educationis studium secum importare potest gravia in apostolatam effecta, dum videlicet sensum exclusionis inferiorisque facultatis gignit vel levitatem quandam fovet et in rebus suscipiendis temeritatem.

Intra charismatum varietatem verasque singulorum Institutorum potestates, obligatio ad studia redigi non potest ad praeviam modo institutionem neque ad titulorum dumtaxat academicorum aut solius professionalis praeparationis consecutionem. Significatio potius est placatae numquam cupidinis magis ac magis pernoscendi Deum, qui est luminis abyssus atque cuiusvis humanae veritatis fons. Quapropter opus hoc non in cultum mentis abstractum includit personam consecratam neque in orbibus strangulantis cuiusdam narcisismi continet; stimulus contra est ad collocationem et communicationem, conformatio facultatis iudicandi, ad contemplationem

orationemque incitamentum in assidua illa inquisitione Dei eiusque actionis in complicatis hodierni orbis negotiis.

Se a Spiritu transfigurari sinens valet persona consecrata fines angustarum cupiditatum humanarum dilatare eodemque tempore altas rationes cuiusque hominis eiusque historiae percipere, ultra omnes aspectus magis visibiles verum saepius secundarios. Innumerabiles hodie oriuntur provocationes variis ex culturis, quae sunt loca nova et antehac plerumque a consecratis hominibus frequentata quibuscum necesse est frugiferas excolere coniunctionis rationes, animo quidem vigilantis censurae sed etiam confidentis curae erga eos qui difficultates operum mentis proprias superare student, praesertim cum, datis aetatis nostrae quaestionibus omnino novis, oportet ad novas analyses et syntheses procedere.(393) Novorum locorum seria et efficiens evangelizatio, in quibus cultus humanus perficitur traditurque, compleri haud potest sine actuosa adiutrici opera laicorum ibidem versantium.

IN COMMUNICATIONIS SOCIALIS PROVINCIA PRAESENTES

99. Quemadmodum praeteritis temporibus noverant personae consecratae se omnibus rationibus committere evangelizationis ministerio, ingeniose difficultatem vincentes, ita hodie novo quodam modo eas sollicitat ipsa necessitas Evangelii testificandi per communicationis socialis instrumenta. Iam sumpserunt sibi eadem haec instrumenta potestatem res diffundendi per totum cosmum adhibitis artificiis valentissimis, quibus omnis attingi potest orbis particula. Quotiens maxime sui ex Instituti charismate in hac operantur regione consecrati homines, officio tenentur ut amplam cognitionem sibi adipiscantur sermonis ipsius horum instrumentorum proprii, ut de Christo efficaciter alloqui valeant nostri temporis homines, quorum « gaudium et spes, luctus et angor »(394) ab iis enucleentur, sicque pariter societari aedificandae conducere valeant in qua ad Deum peregrinantes omnes fratres se esse percipiant sororesque.

Vigilandum nihilominus est de errato horum instrumentorum usu propter miram persuadendi potentiam qua utuntur. Decet minime tegere difficultates quae hinc in ipsam defluere possunt consecratam vitam; illuminato potius iudicio necesse est occurratur illis.(395) Ecclesiae responsio est in primis institutoria: illuc enim spectat ut modus rectae intellegentiae virium dynamicarum nec non intenta aestimatio ethica divulgationum foveantur, sicut et acceptio sanarum consuetudinum in iis fruendis.(396) Hoc in educandi opere, quod prudentes receptores communicatoresque peritos conformare debet, invitantur personae consecratae ut suam subiungant propriam testificationem de omnium rerum visibilium relativa indole, dum fratres adiuvant ad eas secundum Dei consilium recte iudicandas pariterque etiam ut liberentur a captatione rapaci spectaculi huius mundi transeuntis.(397)

Omnis conatus hac in regione nova et tanti momenti sustentandus est ut Christi Evangelium etiam per haec recentiora instrumenta resonet. Ad adiutricem suam praestandam operam parata esse oportet varia Instituta viribus opibus hominibus conferendis, ut variis in socialium communicationum provinciis communia impleantur cogitata. Praeterea consecratae personae, praesertim saecularium Institutorum sodales, suum libentes adiungant ministerium, pro datis pastoralibus occasionibus, etiam ad religiosam formationem eorum qui praesunt et qui utuntur communicationibus socialibus publicis vel privatis, ut ex altera parte damna fugiantur quae vitiatus instrumentorum usus importat, ex altera vero excellentior divulgationum species adiuvetur, nuntia disseminando legem moralem observantia humanisque christianis bonis opulenta.

IV

Colloquio cum omnibus studentes

CHRISTIANORUM DESERVIENTES UNITATI

100. Ad Patrem directa a Christo ante Passionem precatio ut discipuli discipulaeque in unitate permanerent,(398) in Ecclesiae precibus actionibusque etiam nunc perseverat. Quo modo ad vitam consecratam vocati se non implicari sentire possunt? Disiunctionis vulnus quod inter christifideles adhuc existit atque ipsa necessitas precandi et operandi ut omnium christianorum unitas propellatur in Synodo maxime notata sunt. Acutus oecumenicus sensus in consecratis hominibus et mulieribus etiam conscientia incenditur apud alias Ecclesias et christianas Communitates ecclesiales servari et florere monachismum, prout in Ecclesiis Orientalibus fit, aut consiliorum evangelicorum professionem renovari, quemadmodum in Anglicana Communionem accidit nec non in Reformationis Communitatibus.

Intimum vitae consecratae vinculum cum oecumenismi causa collustravit Synodus nec non prementem necessitatem intentioris hac in re testificationis. Si enim oecumenismi anima est precatio atque conversio,(399) nihil dubii est quin vitae consecratae Instituta nec non apostolicae vitae Societates peculiari teneantur officio hoc opus agendi. Postulatur idcirco vehementer ut in vita consecratorum ampliora aperiantur spatia oecumenicae precatio atque testimonio vere evangelico, ut Spiritus Sancti virtute moenia divisionum praeiudiciorumque inter christianos dirui possint.

OECUMENICI DIALOGI FORMAE

101. Communiter peracta *lectio divina* in veritate quaerenda, participatio precatio communis in qua Dominus se adfuturum esse pollicetur,(400) amicitiae ac caritatis dialogus quo quis percipit quam iucundum sit fratres habitare in unum,(401) benigna hospitalitas fratribus ac sororibus variarum confessionum christianarum praebita, reciproca comprehensio donorumque permutatio, consociata opera in communibus ministerii ac testimonii coeptis, totidem sunt oecumenici dialogi rationes, communi omnium Patri acceptae significationes nec non

voluntatis documenta ut simul ad unitatem perfectam procedatur in veritatis atque amoris semita.(402) Historiae quoque ac doctrinae ac liturgiae cognitio, tum etiam operum beneficorum et apostolicorum, inter alios christianos facere non poterit quin actionem oecumenicam usque efficientiorem sustineat.(403)

Confirmare cupimus illa Instituta quae nativam suam ob indolem vel propter subsequentem vocationem se promovendae christianorum unitati dedunt et idcirco incepta studiorum et actionum concretarum pro ea excolunt. Nullum reapse vitae consecratae Institutum sentire debet eximi ab hoc officio adlaborandi se pro unitate. Animum praeterea convertimus nostrum ad catholicas Orientis Ecclesias, exoptantes ut etiam per monachicum virorum ac mulierum morem, cuius prosperitas gratia est sine intermissione imploranda, ut unitati proficere valeant cum Ecclesiis orthodoxis, per caritatis dialogum et communis spiritualitatis participationem, quod fuit indivisae Ecclesiae primi millennii patrimonium. Nominatim vero vitae contemplativae domibus committimus oecumenismum spiritalem precationis et cordis conversionis ipsiusque caritatis. Huius rei causa hortamur ut ibi adsint ubi variarum confessionum communitatis christianae inveniuntur ut eorum tota devotio ei quod « unum est necessarium », (404) ad Dei cultum et deprecationem pro hominum salute simul etiam ad eorum evangelicae vitae testificationem secundum propria charismata, omnibus incitamentum evadat ut, secundum Trinitatis imaginem, vivant in illa unitate quam et voluit Christus et pro omnibus suis discipulis a Patre petivit.

INTER RELIGIONES DIALOGUS

102. Quandoquidem « ad Ecclesiae evangelizandi munus pertinet dialogus quoque cum religionum ceterarum sodalibus », (405) recusare non possunt vitae consecratae Instituta quominus in hac pariter provincia suam navent operam, ex proprio quoque charismate et secundum ecclesiasticae auctoritatis iudicia. Prima evangelizationis via quod attinet ad fratres sororesque alterius religionis ipsa erit vitae pauperis humilis castae testificatio quam fraternus in omnes amor pervadit. Simul autem spiritus libertas, quae ad consecratam vitam proprie pertinet, illi « vitae dialogo » (406) favebit in quo principale missionis nec non Evangelii Christi nuntiationis impletur exemplar. Ut mutuae comprehensioni et reciprocae observantiae nec non caritati prosint, poterunt praeterea colere Instituta religiosa *congruas dialogi formas*, benevola amicitia compositas et reciprocanti sinceritate, cum monasticis aliarum religionum sedibus.

Aliam cooperationis regionem cum viris ac feminis alterius religiosae traditionis, communis efficit *de vita humana sollicitudo*, quae a misericordia ob dolores corporis et animi procedit usque ad industriam pro iustitia, pace et rerum creaturarum custodia. His in partibus in primis vitae activae Instituta consensionem quaerent cum sodalibus aliarum religionum, in illo « operum dialogo » (407) quae ad altiore quandam communicationem aperit viam.

Peculiaris insuper locus actuosae congressionis cum aliarum traditionum religiosarum hominibus est *conquisitio et provectio dignitatis feminarum*. In aequalitatis iustaeque vicissitudinis inter virum ac feminam prospectu, beneficium praestans maxime a mulieribus consecratis adferri potest. (408)

Haec aliaque consecratorum hominum officia erga dialogum inter religiones, idoneam poscunt in prima formatione et continuata educatione praeparationem, sicut etiam in studiis et investigationibus, (409) quoniam in hac difficiliore regione opus est ampla christianae rei cognitione tum etiam aliarum religionum, quam solida fides spiritualisque et humana maturitas comitantur.

SPIRITALITATIS RESPONSIO SACRUM QUAERENTIBUS DEUMQUE DESIDERANTIBUS

103. Quotquot consecratam vitam viri ac mulieres amplectuntur, ex ipsa eorum electionis natura sese praebent praecipuos illius Dei inquisitionis actores quae hominis iam a principio agitat cor eumque ad multiplices ducit ascesis ac spiritualitatis species. Pluribus hodie locis eadem haec inquisitio vehementer se effert tamquam responsionem cultus humani rationibus quae si non semper negant, certissime submovere religiosam vitae rationem volunt.

Congruenter pleneque exsequentes consecratae personae officia libera voluntate in se recepta, valent responsum suorum aequalium hominum aspirationibus reddere, dum eos expediunt a solutionibus maximam partem fallacibus saepeque negantibus salvificam Christi incarnationem, (410) quales, verbi causa, a sectis religiosis proponuntur. Factitantes suam atque communitatis ascesim, quae totam expurgat et transfigurat vitam, testificantur consecratae personae proprietates verae inquisitionis Dei contra egocentrismi et sensualitatis illecebras, atque admonent ne illa misceatur cum subtili studio sui ipsius nec non cum effugio in gnosis. Obligatur quisque consecratus homo ut interiorem percolat hominem qui ab historia non se subtrahit neque se retrahit in se. In oboedienti Verbi auditione perseverans, cuius custos atque interpret est Ecclesia, consecrata persona in Christo maximopere dilecto atque in ipso Trinitatis Mysterio obiectum indicat altissimi desiderii cordis humani nec non cuiusvis religiosi itineris portum rebus transcendentibus fideliter patens. Officium idcirco est consecratis personis ut liberaliter receptionem et comitatum spiritalem iis praebeant qui, Dei siti permoti atque cupidi implendi fidei postulata, ad eas se convertunt. (411)

Conclusio

GRATUITATIS SUPERABUNDANTIA

104. Qui dubii hodie sese interrogant complures sane sunt: « Quorsum consecrata vita? ». Cur hoc amplexandum vitae genus, cum tot interea permanent necessitates in caritatis ipsiusque evangelizationis regione, quibus responderi quidem licet nullis vitae consecratae peculiaribus susceptis officiis? Nonne est consecrata vita

fortassis genus quoddam virium humanarum « iacturae » quae secundum efficientiae regulam adhiberi ad bonum quoddam maius possunt in totius hominum generis Ecclesiaeque utilitatem?

Crebrius incidunt hodie haec quaesita, quoniam cultura rebus utilibus favens et technocratica arte valens impellit, quae rerum ac ipsarum personarum momentum ex earum aestimare vult comparatione facta cum subita earum « functione ». Ad huiusmodi interrogationes semper fuerunt, quemadmodum evangelicus unctionis Bethaniae eventus eloquenter commonstrat: « Maria ergo accepit libram unguenti nardi puri, pretiosi, et unxit pedes Iesu et extersit capillis suis pedes eius; domus autem impleta est ex odore unguenti ». (412) Iudae autem qui pauperum necessitates praetendens de tanta conquerebatur iactura respondit Iesus: « Sine illam ». (413)

Haec semper valet responsio quaestioni, quam bona quidem fide tot homines sibimet ponunt de vitae consecratae commoditate: « Nonne vita propria collocari efficientius et rationabilius posset in societatis efficientis progressibus? ». Ecce Iesus respondet: « Sine illam ».

Cui inaestimabile munus est tributum Dominum Iesum proprius sequendi, manifestum elucet posse illum ac debere indiviso corde amari. Eique omnem devoveri posse vitam, non quosdam dumtaxat actus vel momenta quaedam vel aliqua opera. Pretiosum effusum unguentum tamquam purus amoris actus proindeque ultra omnem « utilitatis » aestimationem indicium *superabundantiae gratuitatis* est, prout in vita exprimitur quae ideo ducitur ut Dominus diligatur. Eique serviatur et ut quis eius dedicetur personae et eius Mystico Corpori. Verumtamen ex hac vita sine parsimonia « profusa » odor dimittitur quo universa repletur domus. Domus Dei, Ecclesia nempe, hodie haud minus quam heri exornatur et vitae consecratae praesentia ditatur.

Id quod intuentibus hominibus videri potest tamquam iactura, personae Domini pulchritudine ac bonitate intus in animo correptae manifesta amoris responsio est, gratiarum actio exsultans quia peculiari prorsus modo admissa est ad Filii cognitionem eiusque divini in orbe muneris communionem.

« Si cognoscet aliqui Dei filius percipietque amorem divinum et Deum increatum, Deum incarnatum, Deum passum, qui summum est bonum, Ei omnia dabit seque subtrahet non ceteris tantum creaturis immo vero etiam sibi ipsi, et sua cum omni persona hunc Deum amoris amabit ut se totum in Deum-hominem transformet qui supremus est Amatus ». (414)

CONSECRATA VITA DEI REGNO FAMULANS

105. « Quid esset de mundo si religiosi ibidem non essent? ». (415) Extra omnes leves functionum aestimationes, in eo habet vita consecrata pondus quod ipsa est *gratuitatis atque amoris abundantia*, eoque magis inter homines cum periculum est ne voragine rerum transeuntium suffocentur. « Hoc quidem dempto signo visu manifesto, periculum est ne ipsa caritas, qua Ecclesia universa vegetatur, frigescat, mirabilis ille vulgarique opinioni contrarius nuntius salvificus Evangelii hebescat, "sal" fidei in mundo evanescat, qui hac aetate ad saeculares accedit condiciones ». (416) Indigent Ecclesiae vita et ipsa hominum societas iis hominibus qui totos se Deo devovere valeant et aliis hominibus ex Dei amore.

Nulla prorsus modo Ecclesiae renuntiare licet consecratae vitae, cum *magna eloquentia intimam eius « sponsalem » essentiam aperiat*. Ibi enim impetum novum vimque invenit Evangelii nuntiatio omnibus hominibus. Opus namque est iis qui paternam Dei faciem demonstrent maternumque Ecclesiae vultum, qui suam vitam exponant ut alii vitam habeant et spem. Eget consecratorum hominum Ecclesia qui antequam sese obligent ad unius alteriusve nobilis causae curam, gratia Dei se transfigurari patiantur atque Evangelio funditus se conforment.

Suis reperit in manibus Ecclesia hoc praestans donum atque gratissimo animo se vovet ut aestimatione et precatione illud promoveat nec non ut idem aperta cohortatione recipiatur. Multum quidem interest ut episcopi presbyteri diaconi, qui sibi de evangelica huius generis vitae praestantia persuaserunt, operam dent ut detegant ac foveant praedicatione et discretionem nec non prudenti auxilio spiritali vocationum germina.

Ab universis praeterea christifidelibus constans poscitur precatio pro consecratis personis, ut eorum ardor ac facultas amandi usque aucescant unde conducatur bono Christi odore (417) intra hodiernam societatem disseminando. Omnis tandem christiana communitas - pastores, laici, personae consecratae - vitae consecratae officium gerit tum etiam receptionis et sustentationis novis vocationibus oblatae. (418)

ADULESCENTIBUS

106. Vobis, adulescentes, dicimus: Si Domini animadvertitis vocationem, ne eam repudiaveritis! Fortiter potius inseritote vos in sanctimoniae motus, quos sancti sanctaeque illustres ad Christi sequelam patefecerunt. Magna aetatis vestrae desideria excolite, verum alacriter etiam Dei consilio de vobis adhaerescite, si quidem vos Ille invitat ut in consecrata vita sanctitatem quaeratis. Omnia Dei opera in orbe admiramini, at oculos in res potius dirigere noveritis quae numquam sunt interiturae.

Beneficium fidei atque industriae multitudinum iuvenum consecratorum exspectat tertium millennium, quo tranquillior reddatur hominum orbis atque aptior ad Deum recipiendum et in Illo cunctos eius filios ac filias.

FAMILIIS

107. Ad vos Nos convertimus, christianae domus. Gratias Domino, parentes, habetote si ad consecratam vitam aliquem vestrum filium filiamve vocavit. Censendum est, sicut et semper fuit, decus magnum si domum aliquam respexit Dominus indeque quandam eius sodalem elegit, ut eum moveat ad vitam consiliorum evangelicorum

ineundam! Voluntatem fovete Domino aliquem vestrorum liberorum donandi, ut inde Dei Amor inter homines crescat. Quis coniugalis amoris fructus hoc ipso pulchrior esse poterit?

Recordari oportet si parentes ipsi bona evangelica vivendo non impleant, adulescentes et adulescentulas difficulter percipere vocationem posse, perspicere sacrificiorum necessitatem ferendorum, pulchritudinem metae attingendae concipere.

Accidit enim in familiis ut primum bonorum evangelicorum experimentum iuvenes faciant tum etiam illius amoris qui Deo sese dicat ac ceteris. Pariter necesse est ad responsalem suae libertatis usum instituantur ut possint parati esse ad altissimas vivendas spirituales veritates suam secundum vocationem.

Vos obsecramus, christianae domus, ut per precationem vitamque sacramentalem Domino coniunctae, sedes sitis vocationibus suscipiendis idoneae.

BONAE VOLUNTATIS VIRIS AC FEMINIS

108. Omnibus viris et mulieribus, qui vocem Nostram audire voluerint, hanc protendere volumus invitationem ut vias ad Deum vivum verumque ducentes etiam in curriculum signatis vita consecrata inquirant.

Hoc testificantur personae consecratae: « Quicumque Christum sequitur, Hominem perfectum, et ipse magis homo fit ».(419) Quot ex iis inclinatae sunt perguntque se inclinare veluti boni Samaritani in fratrum ac sororum innumerabilia vulnera quos sua offendunt in via!

Has respicite a Christo arreptas personas quae in ipsa sui dominatione, quam gratia et Dei amor sustentant, remedium demonstrant contra possidendi cupidinem ac fruendi et dominandi. Nolite oblivisci charismatum quae mirabiles « Dei inquisitores » conformaverunt ac hominum benefactores, quae certas straverunt vias iis qui animo sincero Deum quaerunt. Multitudinem intuemini sanctorum hoc genere vitae maturatorum, ponderate beneficia heri hodieque hominibus ab illis adlata qui Deo se dedicaverunt! Nonne egeat orbis hic noster laetis testibus ac prophetis beneficae Dei amoris potentiae? Nonne etiam virorum feminarumque indiget mundus qui vita sua atque industria serere pacis ac fraternitatis semina noverunt?(420)

CONSECRATIS PERSONIS

109. Vobis autem in primis, viri ac feminae consecrati, finem facientes Exhortationis huius Nostrae fidentes Nostram intendimus vocem: penitus vestram exsequimini Deo factam devotionem, ne huic mundo divinae venustatis deficiat radius unde humanae existentiae collustretur via. Christiani, in opera huius mundi et curas inserti, sed ad sanctitatem et ipsi vocati, in vobis deprehendere debent purificata corda quae per fidem Deum « vident » dociles nempe homines Spiritus Sancti impulsui qui expedite progrediuntur charismati fideles vocationis ac missionis.

Suscepisse vos probe novistis continuae conversionis iter, deditionis unice Dei amori ac fratrum, ut gratiam clarius usque testificemini qua christiana commutetur vita. Veros Christi testes mundus quaerit atque Ecclesia. Consecrata autem vita donum est quod Deus profert ut ante omnium oculos « unum necessarium »(421) constituatur. Testimonium vita propria Christo reddere et operibus et verbis existit peculiare vitae consecratae in Ecclesia et orbe munus.

Scitis cui credideritis:(422) tribuite ei omnia! Se decipi non sinunt adulescentes: ad vos enim accedentes cernere cupiunt quod alibi non conspiciunt. Interminatum vobis in aetatem proximam est officium: iuniores praesertim consecrati suam testantem consecrationem adducere aequales possunt ad eorum renovandam vitam.(423) Flagrans in Iesum Christum amor validum est reliquis iuvenibus invitamentum quos sua ex benignitate vocat ut se proxime ac semper sequantur. Nostrae aetatis homines in consecratis personis dispicere cupiunt laetitiam quae ex eo venit quod cum Domino manent.

Vivite ergo fideles vestro erga Deum officio, consecratae personae, seniores ac iuniores, mutuo inter vos aedificantes vicissimque sustentantes. Quamvis difficultates subsint in quas nonnumquam incidere potuistis, atque vitae consecratae aestimatio secundum certam publicam hominum opinionem decreverit, officio tamen tenemini ut viros ac mulieres nostrorum dierum sursus cohortemini qui oculos in altum tollant neve se cotidianis negotiis obrui patiantur, sed a Deo abripi sinant atque eius Filii Evangelio. Non obliviscemini modo maxime proprio posse vos ac dicere debere non modo vos esse Christi, sed « Christum esse »!(424)

IN VENTURUM TEMPUS PROSPECTUS

110. Non modo superest vobis illustris historia cuius reminiscamini quamque commemoretis, verum *praeclara adhuc exstruenda historia!* In futurum prospicite tempus, quo Spiritus vos proicit ut magna adhuc ex vobis mirabilia efficiat.

Vestram convertite vitam in Christi Iesu ardentem quandam expectionem, Ei obviam procurrentes tamquam virgines prudentes quae Sponso se obvias dant. Estote semper parati, Christo fideles et Ecclesiae, vestroque Instituto et nostrae aetatis hominibus.(425) Ita profecto a Christo de die in diem renovabimini, ut fraternas cum Eius Spiritu constituatis communitates, ut cum Ipso pauperum abluatis pedes et transformando mundo vestras conferatis partes quibus nihil substitui potest.

Hic orbis manibus hominis creditus, dum novum iam iam initurus est millennium, utinam magis semper humanus esse possit et iustus, significatio ac praegustatio mundi venturi ubi Ipse, demissus Dominus et glorificatus, egenus et exaltatus, gaudium erit plenum ac perpetuum nobis nostrisque fratribus et sororibus una cum Patre et Spiritu Sancto.

TRINITATIS IMPLORATIO

111. Laetificato, Sanctissima Trinitas, beata ac beatificans, filios tuos tuasque filias, quos ad amoris tui granditatem confitendam vocavisti, pariterque misericordis bonitatis tuae tuaeque venustatis.

Pater Sancte, filios ac filias sanctificato, qui tibi sunt ob Tui nominis gloriam consecrati. Tua potentia eos comitare ut Te omnium rerum Originem esse ubicumque amoris ac libertatis pontem ipsi valeant testari. De vitae consecratae dono referimus Tibi grates, quae ex fide Te inquit ac sua in universali missione omnes invitat ut ad Te progrediantur.

Iesu Redemptor, Incarnatum Verbum, quem admodum vitae formam eos docuisti tuam quos vocaveras, ad Te allicere homines pergito qui nostri temporis hominibus misericordiae depositarii sint, tui reditus praenuntii, futurae resurrectionis vivi indices bonorum. A Te tuoque amore illos numquam seiungant ullae angustiae!

Sancte Spiritus, Amor in corda effuse, qui mentibus gratiam tribuis et ardorem, perennis Fons vitae, qui Christi munus numerabilibus charismatibus ad effectum adducis, pro universis consecratis personis Te precamur. Earum repleto animos intima illa ac certa scientia se praeoptatas esse ut diligant, laudent, serviant. Effice ut tuam amicitiam experiantur, eas tua laetitia et consolatione repleto, adiuva eas ut difficultatum supervadant discrimina et fidentes post lapsus resurgant, speculum effcito illas divini decoris. Fortitudinem tribue iis ut nostri aevi occurrant provocationibus et gratiam addito qua benignitatem et humanitatem Salvatoris nostri Iesu Christi(426) adferant.

VIRGINIS MARIAE INVOCATIO

112. Ecclesiae figura, Maria, Sponsae sine ruga et macula quae Te imitata « virginaliter servat integram fidem, solidam spem, sinceram caritatem », (427) suffulcito consecratas personas ad aeternam et unicam contententes Beatitatem.

Visitationis Virgo, Tibi ipsas committimus, ut hominum necessitatibus obviam ire noverint adiumentum at in primis Iesum ipsum adportaturae. Mirabilia proclamare illas doceto quae in orbe Dominus patrat ut gentes cunctae nomen eius extollant. Confirma eas in navitate pro pauperibus, pro esurientibus et spe carentibus, pro extremis relictis tum pro omnibus qui animo candido Filium tuum conquirunt.

Tibi, Mater, quae spiritalem apostolicamque tuorum filiorum ac filiarum exoptas renovationem amore nempe respondentium atque integra sui deditioe Christo facta, fidenter nostram destinamus precem. Quae Patris effecisti voluntatem, in oboedientia alacris, in paupertate fortis, in virginitate fecunda hospitalis, a divino impetrato Filio tuo ut, quotquot iam eius sequelae in consecrata vita donum perceperunt, testificari sua transformata vita ipsum sciant, dum laetantes singulis cum fratribus ac sororibus reliquis ad caelestem patriam procedunt adque lucem numquam occasuram.

Hoc Te poscimus, ut in omnibus et in singulis glorificetur honoretur ametur Summus rerum omnium Dominus, qui Pater est et Filius et Spiritus Sanctus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxv mensis Martii, in sollemnitate Annuntiationis Domini, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

IOANNES PAULUS PP. II

(1) Cfr. 1 *Cor.* 7, 34.

(2) *Io.* 17, 21.

(3) Cfr. *Propositio* 2.

(4) *Ad Gentes*, 18.

(5) Cfr. *Lumen Gentium*, 44; PAULI VI *Evangelica Testificatio*, 7; EIUSDEM *Evangelii Nuntiandi*, 59.

(6) Cfr. *Lumen Gentium*, 44.

(7) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Allocutio in Audientia generali*, 5, die 28 sept. 1994: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XVII, 2 (1994) 404 s.

(8) Cfr. *Propositio* 1.

(9) Cfr. S. FRANCISCI SALESII *Introductio ad vitam devotam*, p. 1, c. 3: *OEuvres*, t. III, Annecy 1983, pp. 19-20.

(10) Cfr. *Lumen Gentium*, 43.

(11) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Allocutio exeunte IX Coetu Synodi Episcoporum habita*, 3, die 29 oct. 1994: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XVII, 2 (1994) 572.

(12) Cfr. IX COETUS GENERALIS ORDINARIII SYNODI EPISCOPORUM *Nuntius Synodi*, VII, die 27 oct. 1994: *Diurnarium L'Osservatore Romano*, die 29 oct. 1994, p. 7.

(13) Cfr. *Propositio* 5, B.

(14) Cfr. S. BENEDICTI *Regula*, 4, 21.72.11.

(15) Cfr. *Propositio* 12.

(16) Cfr. *Matth.* 4, 4.

(17) Cfr. *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 570.

(18) Cfr. 1 *Tim.* 5, 5.9.10; 1 *Cor.* 7, 8.

- (19) Cfr. *Perfectae Caritatis*, 7; *Ad Gentes*, 40.
- (20) Cfr. *Propositio* 6.
- (21) Cfr. *Propositio* 4.
- (22) Cfr. *Phil.* 2, 5-11.
- (23) Cfr. *Propositio* 7.
- (24) Cfr. *Propositio* 11.
- (25) Cfr. *Propositio* 14.
- (26) Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 605; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 571; *Propositio* 13.
- (27) *Act.* 15, 31.
- (28) Cfr. *Propositiones* 3.4.6.7.8.10.13.28.29.30.35.48.
- (29) Cfr. *Propositio* 3, A et B.
- (30) Cfr. *Propositio* 3, C.
- (31) Cfr. S. CASSIANI *Conlatio* 10, 6: *PL* 49, 827: « Secessit tamen solus in monte orare, per hoc scilicet nos instruens suae secessionis exemplo... ut similiter secedamus »; S. HIERONYMI *Epistula ad Paulinum* 58, 4, 2: *PL* 22, 582: « Et Christum quaeras in solitudine et ores solus in monte cum Iesu »; VILLELMI ABBATIS S. THEODORICI *Ad Fratres de Monte Dei* I, 1: *PL* 184, 310: « (Vita solitaria) ab ipso Domino familiarissime celebrata, ab eius discipulis ipso praesente concupita: cuius transfigurationis gloriam cum vidissent qui cum eo in monte sancto erant, continuo Petrus... optimum sebi iudicavit in hoc semper esse ».
- (32) *Matth.* 17, 1-9.
- (33) *Phil.* 1, 21.
- (34) *Matth.* 17, 4.
- (35) *Ps.* 45 (44), 3.
- (36) *Lumen Gentium*, 1.
- (37) Cfr. *Matth.* 10, 37.
- (38) *Lumen Gentium*, 44.
- (39) Cfr. *Io.* 10, 30; 14, 11.
- (40) Cfr. *ibid.* 17, 7.10.
- (41) Cfr. *ibid.* 4, 34.
- (42) *Matth.* 17, 5.
- (43) Cfr. *Io.* 6, 44.
- (44) Cfr. *1 Cor.* 7, 32-34.
- (45) Cfr. *Io.* 15, 16.
- (46) Cfr. CONGREGATIONIS PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS Instructio *Essential elements in the Church's teaching on Religious Life as applied to Institutes dedicated to works of the apostolate*, 5, die 31 maii 1983: *Enchiridion Vaticanum*, 9, 184.
- (47) Cfr. S. THOMAE AQUINATIS *Summa Theologiae*, II-II^{ae}, q. 186, a. 1.
- (48) Cfr. *Io.* 14, 6.
- (49) Cfr. *ibid.* 17, 9.
- (50) Cfr. *Matth.* 19, 27.
- (51) Cfr. *Propositio* 16.
- (52) Cfr. *Apoc.* 14, 4.
- (53) Cfr. *Marc.* 10, 21.
- (54) *Col.* 1, 15.
- (55) Cfr. *Hebr.* 1, 3.
- (56) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Redemptionis Donum*, 3.
- (57) Cfr. *Marc.* 1, 16-20; 2, 14; 10, 21.28.
- (58) *Phil.* 3, 8.
- (59) Cfr. *Luc.* 1, 38.
- (60) S. FRANCISCI ASSISIENSIS *Regula bullata*, I, 1.
- (61) *Luc.* 1, 38.
- (62) *Matth.* 17, 5.
- (63) S. THOMAE AQUINATIS *Summa Theologiae*, III, 45, a. 4, ad 2: « Tota Trinitas apparuit: Pater in voce, Filius in homine, Spiritus in nube clara ».
- (64) *Ier.* 20, 7.
- (65) *Eph.* 5, 27.
- (66) Cfr. *Apoc.* 21, 2.
- (67) Cfr. *Perfectae Caritatis*, 1.
- (68) *Lumen Gentium*, 44.
- (69) SIMEONIS NOVI THEOLOGI *Hymni*, II, vv. 19-27: *SCh* 156, 178-179.
- (70) Cfr. *1 Cor.* 7, 32-34.

- (71) *Rom.* 5, 5.
- (72) *2 Cor.* 8, 9.
- (73) Cfr. *Io.* 4, 34.
- (74) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Allocutio in Audientia generali*, 4, die 9 nov. 1994: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XVII, 2 (1994) 653 s.
- (75) *Act.* 4, 32.
- (76) *Lumen Gentium*, 44.
- (77) Cfr. *Matth.* 4, 18-22; *Marc.* 1, 16-20; *Luc.* 5, 10-11; *Io.* 15, 16.
- (78) *Act.* 10, 38.
- (79) *Io.* 10, 36.
- (80) Cfr. *Io.* 17, 19.
- (81) Cfr. *ibid.* 10, 30; 14, 11.
- (82) Cfr. *ibid.* 6, 38; *Hebr.* 10, 5.7.
- (83) Cfr. *Luc.* 2, 49.
- (84) *Phil.* 2, 7-8.
- (85) *2 Cor.* 8, 9.
- (86) *Luc.* 9, 31.
- (87) Cfr. *ibid.* 9, 43-45.
- (88) S. IGNATII ANTIOCHENI *Epistula ad Magnesios*, 8, 2: *Patres Apostolici*, ed. F. X. Funk, II, 237.
- (89) Cfr. *Io.* 12, 32; 19, 34.37.
- (90) Cfr. *ibid.* 19, 26-27.
- (91) Cfr. *Apoc.* 14, 1-5.
- (92) Cfr. *Propositio* 3.
- (93) Cfr. *Is.* 53, 2-3.
- (94) S. AUGUSTINI *Enarratio in Psalmum* 44, 3: *PL* 36, 495-496.
- (95) *Col.* 1, 24.
- (96) Cfr. *Luc.* 2, 49; *Io.* 4, 34.
- (97) Cfr. *Io.* 15, 16; *Gal.* 1, 15-16.
- (98) Cfr. *Luc.* 24, 49; *Act.* 1, 8; 2, 4.
- (99) Cfr. *Io.* 20, 21.
- (100) Cfr. *Propositio* 25; *Perfectae Caritatis*, 17.
- (101) Cfr. *Propositio* 25.
- (102) Cfr. *Matth.* 6, 21.
- (103) Cfr. *1 Cor.* 7, 31; *1 Petr.* 1, 3-6.
- (104) Cfr. *Lumen Gentium*, 42.
- (105) *Ibid.* 44.
- (106) B. ELISABETHAE A TRINITATE *Le ciel dans la foi. Traité Spirituel*, I, 14: *OEvres complètes*, Paris 1991, p. 106.
- (107) Cfr. *Col.* 3, 1.
- (108) *Hebr.* 13, 14.
- (109) *Phil.* 3, 20.
- (110) *Matth.* 6, 33.
- (111) *Apoc.* 22, 20.
- (112) *Matth.* 6, 10.
- (113) *Apoc.* 21, 1.
- (114) *Ibid.* 21, 4.
- (115) Cfr. *Luc.* 3, 6; *Is.* 40, 5.
- (116) Cfr. S. AUGUSTINI *Confessiones* 1, 1: *PL* 32, 661.
- (117) IOANNIS PAULI PP. II *Allocutio in Audientia generali*; 1, die 29 mar. 1995: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XVIII, 1 (1995) 883.
- (118) *Lumen Gentium*, 53.
- (119) *Ibid.* 46.
- (120) *Io.* 19, 27.
- (121) *Ibid.* 19, 26.
- (122) Cfr. *ibid.* 19, 27.
- (123) Cfr. *Propositio* 55.
- (124) *Matth.* 17, 4.
- (125) *Lumen Gentium*, 44.
- (126) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Redemptionis Donum*, 7.

- (127) Cfr. *Lumen Gentium*, 44; IOANNIS PAULI PP. II *Allocutio in Audientia generali*, 5, die 26 oct. 1994: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XVII, 2 (1994) 549.
- (128) Cfr. *Lumen Gentium*, 42.
- (129) Cfr. *Matth.* 19, 10-12.
- (130) Cfr. RITUALE ROMANUM, *Ritus Professionis religiosae*: sollemnis benedictio vel consecratio professorum, n. 67, et professorum, n. 72; PONTIFICALE ROMANUM, *Ritus consecrationis Virginum*, n. 38: sollemnis oratio consecrationis; EUCOLOGION SIVE RITUALE GRAECORUM, *Officium parvi habitum id est Mandiae*, pp. 384-385; PONTIFICALE IUXTA RITUM ECCLESIAE SYRORUM OCCIDENTALIUM ID EST ANTIOCHIAE, *Ordo rituum monasticorum*, Typis Polyglottis Vaticanis 1942, pp. 307-309.
- (131) Cfr. S. PETRI DAMIANI *Liber qui appellatur « Dominus vobiscum » ad Leonem eremitam*: PL 145, 231-252.
- (132) Cfr. *Rom.* 12, 3-8.
- (133) Cfr. *Lumen Gentium*, 32; *Codex Iuris Canonici*, can. 208; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 11.
- (134) Cfr. *Ad Gentes*, 4; *Lumen Gentium*, 4.12.13; *Gaudium et Spes*, 32; *Apostolicam Actuositatem*, 3; IOANNIS PAULI PP. II *Christifideles Laici*, 20-21; CONGREGATIONIS PRO DOCTRINA FIDEI *Litterae Communionis Notio*, 15, die 28 maii 1992: AAS 85 (1993) 847.
- (135) *Lumen Gentium*, 31.
- (136) Cfr. *Lumen Gentium*, 12; IOANNIS PAULI PP. II *Christifideles Laici*, 20-21.
- (137) Cfr. *Lumen Gentium*, 5.
- (138) Cfr. *Matth.* 22, 30.
- (139) Cfr. CONCILII TRIDENTINI Sess. XXIV, can. 10; DENZ.-SCHÖNM. 1810; PII XII *Sacra Virginitas*: AAS 46 (1954) 174 s.
- (140) Cfr. *Propositio* 17.
- (141) *Lumen Gentium*, 41.
- (142) Cfr. *ibid.* 46.
- (143) *Lumen Gentium*, 46.
- (144) Cfr. Pii XII *Primo Feliciter*, 6: AAS 40 (1948) 285.
- (145) *Codex Iuris Canonici*, can. 713 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 563 § 2.
- (146) Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 713 § 2. Peculiariora verba pro « sodalibus clericis » significantur ipso in can. 713 § 3.
- (147) *Lumen Gentium*, 31.
- (148) Cfr. *Rom.* 5, 5.
- (149) Cfr. *Act.* 1, 13-14.
- (150) S. TERESIAE A IESU INFANTE *Manuscrits autobiographiques*, B, 2 v: Cupio « tuam esse sponsam, Iesu..., esse, tecum coniunctam, animarum matrem ».
- (151) Cfr. *Perfectae Caritatis*, 8.10.12.
- (152) *Matth.* 17, 6.
- (153) II COETUS GENERALIS EXTRAORDINARIII SYNODI EPISCOPORUM *Relatio finalis Ecclesia sub verbo Dei mysteria Christi celebrans pro salute mundi*, II A, 4, die 7 dec. 1985: *Enchiridion Vaticanum* 9, 1753.
- (154) IX COETUS GENERALIS ORDINARIII SYNODI EPISCOPORUM *Nuntius Synodi*, IX, die 28 oct. 1994: *Diurnarium L'Osservatore Romano*, die 29 oct. 1994, p. 7.
- (155) Cfr. S. THOMAE AQUINATIS *Summa Theologiae*, II-IIae, q. 184, a. 5, ad 2; *Ibid.*, q. 186, a. 1, ad 1.
- (156) Cfr. *Matth.* 5, 6.
- (157) Cfr. *Libellus de principiis Ordinis Praedicatorum*. Acta Canonizationis Sancti Dominici: *Monumenta Ordinis Praedicatorum historica* 16 (1935) 30.
- (158) Cfr. *Ps.* 34 (33), 9.
- (159) IOANNIS PAULI PP. II *Orientale Lumen*, 12.
- (160) CONGREGATIONIS PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS et CONGREGATIONIS PRO EPISCOPIS *Notae directivae Mutuae Relationes*, 51, die 14 maii 1978: AAS 70 (1978) 500.
- (161) Cfr. *Propositio* 26.
- (162) Cfr. *Propositio* 27.
- (163) Cfr. *Perfectae Caritatis*, 2.
- (164) Cfr. *Ex.* 34, 33.
- (165) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Orientale Lumen*, 16.
- (166) Cfr. *Eph.* 6, 10-17.
- (167) Cfr. *Gen.* 32, 23-31.
- (168) IOANNIS PAULI PP. II *Tertio Millennio Adveniente*, 42.
- (169) PAULI VI *Evangelii Nuntiandi*, 69.
- (170) *Matth.* 17, 7.

- (171) *Ibid.* 17, 4.
- (172) *Luc.* 9, 31.
- (173) Cfr. *Marc.* 3, 13-15.
- (174) Cfr. *ibid.* 3, 32-35.
- (175) Cfr. *Act.* 2, 42-47; 4, 32-35.
- (176) Cfr. *Perfectae Caritatis*, 15; S. AUGUSTINI *Regula ad servos Dei*, 1, 1: PL 32, 1372.
- (177) S. CYPRIANI *De oratione Dominica*, 23: PL 4, 553; cfr. *Lumen Gentium*, 4.
- (178) Cfr. *Propositio* 20.
- (179) Cfr. *Io.* 13, 34.
- (180) Cfr. *Matth.* 7, 1-2.
- (181) *Ibid.* 18, 22.
- (182) *Act.* 4, 32.
- (183) Cfr. *Rom.* 5, 5.
- (184) S. BASILII *Regulae fusius tractatae*, Interrogatio 7: PG 31, 931.
- (185) Cfr. *Matth.* 18, 20.
- (186) Cfr. S. BASILII *Regulae brevius tractatae*, Interrogatio 225: PG 31, 1231.
- (187) Cfr. 1 *Io.* 1, 3.
- (188) Cfr. CONGREGATIONIS PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS Instructio *Essential elements in the Church's teaching on Religious Life as applied to Institutes dedicated to works of the apostolate*, 51, die 31 maii 1983: *Enchiridion Vaticanum* 9, 235-237; *Codex Iuris Canonici*, can. 631 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 512 § 1.
- (189) Cfr. CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE Instructio *La vita fraterna in comunità « Congregavit nos in unum Christi amor »*, 47-53, die 2 febr. 1994. Città del Vaticano 1994, pp. 58-64; *Codex Iuris Canonici*, can. 618; *Propositio* 19.
- (190) Cfr. CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE Instructio *La vita fraterna in comunità « Congregavit nos in unum Christi amor »*, 68, die 2 febr. 1994. Città del Vaticano 1994, pp. 86-88; *Propositio* 21.
- (191) Cfr. *Act.* 2, 42-47.
- (192) *Apoc.* 21, 2-3.
- (193) *Act.* 13, 52.
- (194) Cfr. *Propositio* 28.
- (195) CONGREGATIONIS PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS *Vita e missione dei religiosi nella Chiesa. I. Religiosi e promozione umana*, II, 24, die 12 aug. 1980: *Enchiridion Vaticanum* 7, 455.
- (196) IOANNIS PAULI PP. II *Christifideles Laici*; 31-32.
- (197) 1 *Tim.* 3, 15.
- (198) S. FRANCISCI ASSISIENSIS *Regula bullata*, I, 1.
- (199) S. CATHARINAE SENENSIS *Epistulae*, 109.171.196.
- (200) Cfr. S. IGNATII LOYOLENSIS *Regulae* « ad rectam sentiendi rationem inducendam de militanti Ecclesia », quas ille ponit sub finem voluminis *Exercitia Spiritualia*, praecipue *Regula* 13.
- (201) S. TERESIAE A IESU *Dicta*, n. 217.
- (202) S. TERESIAE A IESU INFANTE *Manuscrits autobiographiques*, B, 3 v.
- (203) Cfr. *Propositio* 30, A.
- (204) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Redemptionis Donum*, 15.
- (205) Cfr. *Lumen Gentium*, 1.
- (206) Cfr. 1 *Cor.* 12, 4-11.
- (207) *Ibid.* 12, 31.
- (208) *Ibid.* 13, 13.
- (209) Cfr. CONGREGATIONIS PRO DOCTRINA FIDEI *Litterae Communionis Notio*, 16, die 28 maii 1992: AAS 85 (1993) 847-848.
- (210) Cfr. *Lumen Gentium*, 13.
- (211) *Christus Dominus*, 11.
- (212) CONGREGATIONIS PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS et CONGREGATIONIS PRO EPISCOPIS NOTAE directivae *Mutuae Relationes*, 11, die 14 maii 1978: AAS 70 (1978) 480.
- (213) Cfr. *ibid.*
- (214) Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 576.
- (215) Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 586; CONGREGATIONIS PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS et CONGREGATIONIS PRO EPISCOPIS Notae directivae *Mutuae Relationes*, 13, die 14 maii 1978: AAS 70 (1978) 481-482.
- (216) Cfr. *Ad Gentes*, 18.
- (217) Cfr. *Codex Iuris Canonici*, Cann. 586 § 2 et 591; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 412 § 2.

- (218) Cfr. *Propositio* 29, 4.
- (219) Cfr. *Propositio* 49, B.
- (220) *Propositio* 54.
- (221) Cfr. CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE Instructio *La vita fraterna in comunità « Congregavit nos in unum Christi amor »*, 56, die 2 febr. 1994, Città del Vaticano 1994, p. 66.
- (222) S. BERNARDI *Apologia ad Vilhelmum Sancti Theodorici*, IV, 8: PL 182, 903-904.
- (223) Cfr. *Perfectae Caritatis*, 23.
- (224) Cfr. CONGREGATIONIS PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS et CONGREGATIONIS PRO EPISCOPIS Notae directivae *Mutuae Relationes*, 21.61, die 14 maii 1978: AAS 70 (1978) 486.503-504; *Codex Iuris Canonici*, Cann. 708-709.
- (225) Cfr. *Perfectae Caritatis*, 1; *Lumen Gentium*, 46.
- (226) Cfr. *Gaudium et Spes*, 4.
- (227) IOANNIS PAULI PP. II *Nuntius ad XIV Coetum Conferentiae Religiosorum Brasiliensium*, die 11 iul. 1986: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, IX, 2 (1986) 237; cfr. *Propositio* 31.
- (228) Cfr. CONGREGATIONIS PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS et CONGREGATIONIS PRO EPISCOPIS Notae directivae *Mutuae Relationes*, 63.65, die 14 maii 1978: AAS 70 (1978) 504.505.
- (229) Cfr. *Lumen Gentium*, 31.
- (230) S. ANTONII M. ZACCARIA *Sermone II: Scritti*. Roma 1975, p. 129.
- (231) Cfr. *Propositio* 33, A et C.
- (232) Cfr. *Propositio* 33, B.
- (233) Cfr. CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE Instructio *La vita fraterna in comunità « Congregavit nos in unum Christi amor »*, 62, die 2 febr. 1994. Città del Vaticano 1994, pp. 75-77; EIUSDEM Instructio *Potissimum Institutioni*, 92-93, die 2 febr. 1990: AAS 82 (1990) 123-124.
- (234) Cfr. *Propositio* 9, A.
- (235) Cfr. *Propositio* 9.
- (236) IOANNIS PAULI PP. II *Evangelium Vitae*, 99.
- (237) CONGREGATIONIS PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS Instructio *Venite Seorsum*, V, die 15 aug. 1969: AAS 61 (1969) 685.
- (238) Cfr. CONGREGATIONIS PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS Instructio *Venite Seorsum*, I, die 15 aug. 1969: AAS 61 (1969) 674.
- (239) Cfr. *Rom.* 6, 11.
- (240) Cfr. *Io.* 13, 34; *Matth.* 5, 3.8.
- (241) Cfr. *Matth.* 5, 14-15.
- (242) *Sacrosanctum Concilium*, 2.
- (243) Cfr. *Col.* 3, 1-4.
- (244) *Lumen Gentium*, 6.
- (245) *1 Cor.* 15, 24.28.
- (246) Cfr. S. IOANNIS A CRUCE *Cántico espiritual*, estr. 29, 1.
- (247) Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 667 § 4; *Propositio* 22, 4.
- (248) Cfr. PAULI VI *Ecclesiae Sanctae*, II, 30-31, die 8 iun. 1966: AAS 58 (1966) 780; *Perfectae Caritatis*, 7.16; CONGREGATIONIS PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS Instructio *Venite Seorsum*, VI, die 15 aug. 1969: AAS 61 (1969) 686.
- (249) Cfr. PII XII *Sponsa Christi*, VII, die 21 nov. 1950: AAS 43 (1951) 18-19; *Perfectae Caritatis*, 22.
- (250) Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 588 § 1.
- (251) Cfr. *Perfectae Caritatis*, 10.
- (252) Cfr. *ibid.* 8.10.
- (253) *Codex Iuris Canonici*, can. 588 § 3; cfr. *Perfectae Caritatis*, 10.
- (254) Cfr. *Lumen Gentium*, 31.
- (255) Cfr. *Propositio* 8.
- (256) *Rom.* 8, 29.
- (257) IOANNIS PAULI PP. II *Allocutio in Audientia generali*, 6, die 22 febr. 1995: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XVIII, 1 (1995) 408.
- (258) *Matth.* 23, 8.
- (259) Cfr. *Perfectae Caritatis*, 10.
- (260) Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 588 § 2.
- (261) Cfr. *Propositio* 10; *Perfectae Caritatis*, 15.
- (262) Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 573; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 410.

- (263) Cfr. *Matth.* 7, 16.
- (264) Cfr. *Propositio* 13, B.
- (265) Cfr. *Propositio* 13, C.
- (266) *Gaudium et Spes*, 48.
- (267) Cfr. *Propositio* 13, A.
- (268) Cfr. *Propositio* 13, B.
- (269) *Lumen Gentium*, 1.
- (270) Cfr. *Propositio* 24.
- (271) Cfr. CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE Instructio *La vita fraterna in comunità « Congregavit nos in unum Christi amor »*, 67, die 2 febr. 1994. Città del Vaticano 1994, pp. 85-86.
- (272) Cfr. *Matth.* 9, 37-38.
- (273) *Io.* 1, 39.
- (274) Cfr. *Propositio* 48, A.
- (275) Cfr. *Propositio* 48, B.
- (276) Cfr. *Propositio* 48, C.
- (277) Cfr. *Propositio* 49, A.
- (278) Cfr. CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE Instructio *Potissimum Institutioni*, 29, die 2 febr. 1990: AAS 82 (1990) 493.
- (279) Cfr. *Propositio* 49, B.
- (280) Cfr. CONGREGATIONIS PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS Instructio *Essential elements in the Church's teaching on Religious Life as applied to Institutes dedicated to works of the apostolate*, 45, die 31 maii 1983: *Enchiridion Vaticanum* 9, 229.
- (281) Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 607 § 1.
- (282) Cfr. *Propositio* 50.
- (283) *1 Cor.* 12, 7.
- (284) Cfr. CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE Instructio *La vita fraterna in comunità « Congregavit nos in unum Christi amor »*, 32-33, die 2 febr. 1994. Città del Vaticano 1994, pp. 39-42.
- (285) Cfr. *Propositio* 51.
- (286) Cfr. CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE Instructio *La vita fraterna in comunità « Congregavit nos in unum Christi amor »*, 43-45, die 2 febr. 1994. Città del Vaticano 1994, pp. 52-57.
- (287) Cfr. CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE Instructio *Potissimum Institutioni*, 70, die 2 febr. 1990: AAS 82 (1990) 513-514.
- (288) Cfr. *Deut.* 6, 5.
- (289) Cfr. *Lev.* 19, 18; *Matth.* 22, 37-39.
- (290) Cfr. *Sap.* 9, 10.
- (291) Cfr. *2 Cor.* 5, 14.
- (292) Cfr. CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE Instructio *Potissimum Institutioni*, 70, die 2 febr. 1990: AAS 82 (1990) 512.
- (293) *Io.* 10, 36.
- (294) Cfr. *Lumen Gentium*, 46.
- (295) Cfr. *Col.* 2, 20-22.
- (296) Cfr. *Propositio* 35, A.
- (297) *Gaudium et Spes*, 4.
- (298) Cfr. *Gal.* 5, 16-17.22; *1 Io.* 4, 6.
- (299) Cfr. *Lumen Gentium*, 12.
- (300) PAULI VI *Ecclesiam Suam*, III.
- (301) S. GREGORII MAGNI *Homilia in Ezechielem*, II, II, 11: *PL* 76, 954-955.
- (302) *Io.* 13, 1.2.4-5.
- (303) *Matth.* 20, 28.
- (304) Cfr. *Io.* 1, 1.
- (305) Cfr. *ibid.* 1, 14.
- (306) Cfr. *Rom.* 5, 5.
- (307) *Matth.* 17, 4.
- (308) S. Augustini *Sermo* 78, 6: *PL* 38, 492.
- (309) Cfr. IV GENERALIS CONFERENTIAE EPISCOPORUM LATINO-AMERICANORUM Documentum *Nova evangelizatio, progressio humana et cultura christiana*, Conclusio, n. 178, CELAM 1992.

- (310) S. VINCENTII A PAULO *Conférence « Sur l'esprit de la Compagnie »*, die 9 febr. 1653: *Correspondance, Entretiens, Documents*, Coste IX, Paris 1923, p. 592.
- (311) Cfr. CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE GONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE *Instructio Essential elements in the Church's teaching on Religious Life as applied to Institutes dedicated to works of the apostolate*, 23-24, die 31 maii 1983: *Enchiridion Vaticanum* 9, 202-204.
- (312) Cfr. *Phil.* 3, 12.
- (313) Cfr. B. ELISABETHAE A TRINITATE *O mon Dieu, Trinité que j'adore: « OEuvres complètes »*, Paris 1991, pp. 199-200.
- (314) Cfr. PAULI VI *Evangelii Nuntiandi*, 69.
- (315) Cfr. *Propositio* 37, A.
- (316) Cfr. *Lumen Gentium*, 46; PAULI VI *Evangelii Nuntiandi*, 69.
- (317) Cfr. *Lumen Gentium*, 44.46.
- (318) Cfr. *Ad Gentes*, 18.40.
- (319) S. FRANCISCI XAVERII *Epistula ad socios Romae incolentes, ex urbe Cochinchinae data die 15 ian. 1544: Monumenta Historica Societatis Iesu*, 67 (1944) 166-167.
- (320) *2 Cor.* 5, 14.
- (321) Cfr. *Lumen Gentium*, 44.
- (322) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Redemptoris Missio*, 69; *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 927.
- (323) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Redemptoris Missio*, 31.
- (324) *Ibid.* 2.
- (325) *Ad Gentes*, 18; cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Redemptoris Missio*, 69.
- (326) Cfr. *Propositio* 38.
- (327) IOANNIS PAULI PP. II *Redemptoris Missio*, 44.
- (328) Cfr. *ibid.* 46.
- (329) Cfr. *ibid.* 52-54.
- (330) *Phil.* 2, 7.
- (331) Cfr. *Propositio* 40, A.
- (332) IOANNIS PAULI PP. II *Redemptoris Missio*, 55; cfr. PONTIFICII CONSILII PRO DIALOGO INTER RELIGIONES et CONGREGATIONIS PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE *Instructio Dialogo e annuncio. Riflessioni e orientamenti*, 45-46, die 19 maii 1991: *AAS* 84 (1992) 429-430.
- (333) Cfr. *Propositio* 40, B.
- (334) IOANNIS PAULI PP. II *Ecclesia in Africa*, 62.
- (335) Cfr. PAULI VI *Evangelii Nuntiandi*, 15.
- (336) IX COETUS GENERALIS ORDINARII SYNODI EPISCOPORUM *Relatio ante disceptationem*, 22: *Diurnarium L'Osservatore Romano*, diebus 3-4 oct. 1994, p. 12.
- (337) IOANNIS XXIII *Oratio in sollemni sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II inauguratione*, die 11 oct. 1962: *AAS* 54 (1962) 789.
- (338) Cfr. *Luc.* 4, 16-19.
- (339) Cfr. *Propositio* 18.
- (340) S. AUGUSTINI *Sermo* 123, 3-4: *PL* 38, 685-686.
- (341) *Matth.* 25, 40.
- (342) Cfr. S. PAULINI NOLANI *Carmen XXI*, 386-394: *PL* 61, 587.
- (343) S. VINCENTII A PAULO *Conférence « Sur les Règles »*, die 30 maii 1647: *Correspondance, Entretiens, Documents*, Coste IX, Paris 1923, p. 319.
- (344) S. GREGORII MAGNI *Regula pastoralis* 2, 5: *PL* 77, 33.
- (345) *Act.* 10, 38.
- (346) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Salvifici Doloris*, 28-30.
- (347) Cfr. *ibid.* 18; EIUSDEM *Christifideles Laici*, 52-53.
- (348) Cfr. EIUSDEM *Pastores Dabo Vobis*, 77.
- (349) Cfr. EIUSDEM *Evangelium Vitae*, 78-101.
- (350) Cfr. *Propositio* 43.
- (351) Cfr. *Lumen Gentium*, 44.
- (352) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Oratio habita inter sollemnem concelebrationem ob conclusionem IX Coetus Ordinarii Synodi Episcoporum*, 3, die 29 oct. 1994: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XVII, 2 (1994) 572.
- (353) Cfr. S. ATHANASII *Vita Antonii*, 7: *PG* 26, 854.
- (354) Cfr. *1 Reg.* 18-19.
- (355) Cfr. *Propositio* 39, A.
- (356) Cfr. *Propositiones* 15, A et 39, C.
- (357) Cfr. *Lumen Gentium*, 4; *Presbyterorum Ordinis*, 2.
- (358) Cfr. *Propositio* 53; IOANNIS PAULI PP. II *Tertio Millennio Adveniente*, 37.

- (359) Cfr. *Perfectae Caritatis*, 12.
- (360) Cfr. *Apoc.* 21, 1.
- (361) Gr. *Propositio* 18, A.
- (362) *Col.* 3, 3.
- (363) Cfr. *Perfectae Caritatis*, 13.
- (364) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Veritatis Splendor*, 31-35.
- (365) Cfr. *Io.* 4, 34.
- (366) Cfr. *Ps.* 18 (17), 3.
- (367) *Ps.* 119 (118), 165.
- (368) Cfr. *Propositio* 19, A; *Perfectae Caritatis*, 14.
- (369) *Luc.* 11, 28.
- (370) Cfr. *Act.* 20, 22 s.
- (371) Cfr. *Propositio* 15.
- (372) Cfr. *Matth.* 4, 18-22; 19, 21.27; *Luc.* 5, 11.
- (373) *Phil.* 3, 8.10.
- (374) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Allocutio in Audientia generali*, 2, die 8 febr. 1995: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XVIII, 1 (1995) 338 s.
- (375) Cfr. *1 Cor.* 7, 7.
- (376) Cfr. *ibid.* 7, 40.
- (377) *2 Tim.* 3, 16.
- (378) *Dei Verbum*, 21; cfr. *Perfectae Caritatis*, 6.
- (379) *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 125; cfr. *Dei Verbum*, 18.
- (380) Cfr. *Ex.* 33, 11; *Io.* 15, 14-15.
- (381) Cfr. *Bar.* 3, 38.
- (382) *Dei Verbum*, 2.
- (383) *Rom.* 12, 2.
- (384) *Presbyterorum Ordinis*, 5.
- (385) Cfr. *Eph.* 1, 17.
- (386) Cfr. *Gravissimum Educationis*, 8.
- (387) S. IOANNIS BOSCO *Scritti pedagogici e spirituali*, Roma 1987, p. 294.
- (388) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Sapientia Christiana*, II.
- (389) Cfr. *Propositio* 41.
- (390) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Sapientia Christiana*, II.
- (391) Cfr. *Propositio* 36.
- (392) Cfr. *Act.* 17, 27.
- (393) Cfr. *Gaudium et Spes*, 5.
- (394) *Ibid.* 1.
- (395) Cfr. CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE Instructio *La vita fraterna in comunità « Congregavit nos in unum Christi amor »*, 34, die 2 febr. 1994. Città del Vaticano 1994, pp. 42-43.
- (396) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Nuntius ob XXVIII diem communications socialis*, die 24 ian. 1994: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XVII, 1 (1994) 183 ss.
- (397) Cfr. *1 Cor.* 7, 31.
- (398) Cfr. *Io.* 17, 21-23.
- (399) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Ut Unum Sint*, 21.
- (400) Cfr. *Matth.* 18, 20.
- (401) Cfr. *Ps.* 133 (132).
- (402) Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Ut Unum Sint*, 28.
- (403) Cfr. *Propositio* 45.
- (404) *Luc.* 10, 42.
- (405) IOANNIS PAULI PP. II *Redemptoris Missio*, 55.
- (406) PONTIFICII CONSILII PRO DIALOGO INTER RELIGIONES et CONGREGATIONIS PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE Instructio *Dialogo e annuncio. Riflessioni e orientamenti*, 42, a, die 19 maii 1991: AAS 84 (1992) 428.
- (407) PONTIFICII CONSILII PRO DIALOGO INTER RELIGIONES et CONGREGATIONIS PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE Instructio *Dialogo e annuncio. Riflessioni e orientamenti*, 42, c, die 19 maii 1991: AAS 84 (1992) 428.
- (408) Cfr. *Propositio* 46.

- (409) PONTIFICII CONSILII PRO DIALOGO INTER RELIGIONES et CONGREGATIONIS PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE Instructio *Dialogo e annuncio. Riflessioni e orientamenti*, 42, c, die 19 maii 1991: AAS 84 (1992) 428.
- (410) Cfr. 1 *Io.* 4, 2-3.
- (411) Cfr. *Propositio* 47.
- (412) *Io.* 12, 3.
- (413) *Ibid.* 12, 7.
- (414) *Liber Beatae Angelae a Fulginia*. Grottaferrata 1985, p. 683.
- (415) S. TERESIAE A IESU *Libro de la Vida*, c. 32, 11.
- (416) PAULI VI *Evangelica Testificatio*, 3.
- (417) Cfr. 2 *Cor.* 2, 15.
- (418) Cfr. *Propositio* 48.
- (419) *Gaudium et Spes*, 41.
- (420) Cfr. PAULI VI *Evangelica Testificatio*, 53; *Evangelii Nuntiandi*, 69.
- (421) *Luc.* 10, 42.
- (422) Cfr. 2 *Tim.* 1, 12.
- (423) Cfr. *Propositio* 16.
- (424) S. AUGUSTINI *In Ioannis Evangelium*, XXI, 8: PL 35, 1568.
- (425) Cfr. CONGREGATIONIS PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS Documentum *Religiosi e promozione umana*, 13-31, die 12 aug. 1980: *Enchiridion Vaticanum* 7, 445-453.
- (426) Cfr. *Tit.* 3, 4.
- (427) *Lumen Gentium*, 64.

© Copyright 1996- Libreria Editrice Vaticana